DE COLICA PICTONUM *TENTAMEN.*

Accedit

DE NATURA SEDE ET ORIGINE HYDATIDUM *DISQUISITIO.*

Auctore

JOANNE GRASHUIS,

MED. DOCTORE, ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM, ET REGIÆ CHIRURGICÆ PARISIENSIS SOCIO.



AMSTÆLODAMI,

Apud *ISAACUM TIRION*, 1752.

Etiam non aſſecutis, voluiſſe, abunde pulchrum atque magnificum eſt.

PLINIUS.



PRÆFATIO.



Olica Pictonum ut ægro, quem invadit, multum doloris, ita Medico, ipsi opem ferenti, haud parum molestiæ tædiique creare solet. Nihil enim tædiosum magis, cui id maxime cordi est, ut ægrorum sibi commissorum amissa sanitas in integrum restituatur, quam desideratam ab ægritudine recreationem, omnibus adhibitis conatibus, subministrare non potuisse. Id mihi, *Colicæ pictonicæ* medenti, sæpius accidisse non inficior; aliis experientissimis viris contigisse novi. Morbi natura nondum perspecta, quamvis Curationis methodum incertam esse, nemo non videt; fallax in compluribus medicationis eventus confirmat. Hanc penitius rimari, eique inventæ, ad Curationem

 per-

perficiendam Indicationes ſuperſtruere, egregii quidam viri conati fuerunt; non infelici cum ſucceſſu, re tamen, in confeſſo eſt, omnibus numeris non abſoluta. Horum ego veſtigia inſecutus, in id inprimis incubui, ut ſepoſita antecedente cauſa, proximam, omnium calamitatum, in hoc morbo, fontem & originem, maxima qua poteram induſtria, inveſtigarem. In hunc finem præcipua *Colicæ pictonicæ* ſymptomata cum aliorum morborum, huic maxime ſimilium, ſymptomatibus contuli; horum cauſam proximam, quousque eſt aperta, ſpeculatus fui; phænomena eorum, obſervatione nota, vel inprimis practica, ut dicitur, Anatome detecta, ſedulo perpendi; aliaque, ſive caſu, ſive conſulto ad hanc rem facientia adjunxi. Quibus omnibus collectis, inter ſe comparatis, & ad *Colicam* prædictam applicatis; cauſam proximam aliquo modo perſpicuam reddi, mihi nata eſt ſuſpicio. Quam, dum

dum conjectura me aſſecutum credidi; ad hanc Curationis intentiones, in ægrotis meæ curæ deditis, penitus direxi. Spe conceptа non fruſtratus, repetitisque experimentis nonnihil audacior factus, eam ceu veram, vel veroſimilitudinis ingentem ſpeciem præ ſe ferentem contemplatus fui. Ex hac ſuppoſita, variisque, ut puto, argumentis ſtabilita, Morbi aliqualem me conformaſſe ideam; indeque Curationis methodum derivaſſe mihi viſus fui, experimentis comprobatam confirmatamque. Qua via, quove modo hæc perveſtigari vel argumentis demonſtrari poſſunt, ſequens Commentatio aliquatenus, ut ſpero, explanabit. Hanc idcirco cum publico communicare quidem volui, ut, licet conſummatam morbi hiſtoriam non comprehendat, quam ab aliis ſufficienter delineatam credidi; accuratiorem cauſæ proximæ perceptionem ſuggereret; ægrosque morbo colico laborantes levandi aliqualem

methodum indicaret; vel aliis tandem, in rem ulterius, & renovatis curis, inquirendi animum adderet. Omnia tentaminis modo proposui, ad meliora, si quis edoctus candidus impertiverit, amplectenda paratus.

Quæ ad calcem accedit, de Natura *Hydatidum* Disquisitio, olim cum Academia cæsarea Naturæ Curiosorum communicata fuit, Actorumque physico-medicorum Tomo septimo inserta. Quoniam vero Acta hæc, in nostra Regione non omnium manibus teruntur, illam huic Tentamini, exiguis quibusdam additionibus auctam, adjungere decrevi.

CON-

CONTENTORUM
IN
TENTAMINE
DE
COLICA PICTONUM
ELENCHUS.

SEC-

SECTIONUM DISQUISITIONIS DE NATURA, SEDE ET ORIGINE HYDATIDUM

ELENCHUS.



DE

DE
COLICA PICTONUM
TENTAMEN.



DE COLICA PICTONUM TENTAMEN.



§. I.



COLICA Medicis, nostris temporibus, quemlibet Intestinorum, tam tenuium quam crassorum dolorem significat. Variis additis epithetis, a Causa vel Symptomate primario desumtis, distinguitur in ventosam, biliosam, inflammatoriam, convulsivam, aliamve. Quæ atrocissimo dolore sævit, longa est, omnique fere Remedio resistit, PICTONUM hodie dicitur; & hisce fere characteribus ab omni alia dignoscitur. Multa equidem hæc cum aliis *Colicæ* speciebus communia habet: doloris vero sævitie, & tantum non intolerabilibus cruciatibus omni alia vehementior & pertinacior. Ventosa discutientibus & carminativis; biliosa temperantibus & evacuantibus; inflam-

Colicæ descriptio.

flammatoria venæsectionibus & antiphlogisticis, alia aliis superabilis; hæc nullis vincenda Remediis diversam sui genii notam exprimit. Haud raro huic Ventris introtractio, Vomitus, Alvi pertinacissima constipatio, Febris, Vigiliæ, Deliria, Convulsiones adsunt, & Paralysis membrorum: ea tamen non omnia in eodem subjecto, vel eodem tempore semper accedunt.

§. II.

Colicæ Pictonum definitio.

Colica Pictonum itaque nostratibus designat *Dolorem colicum atrocissimum simul & pertinacissimum* ex quacumque causa natum.

§. III.

Causæ antecedentes multiplices.

Colicum dolorem a Causis antecedentibus quamplurimis, maximeque inter se diversis oriri posse, & reipsa oriri, experientia non minus quam sana ratio docet. Ingens invenitur apud Auctores causarum recensitarum catalogus, qui forte & multis aliis augeri facile posset; inter quas etiam illas comprehendi verosimile ducitur, quæ *Pictonum Colicam* oriri faciunt. Præcipuæ earum quæ enumerantur, sunt: Scorbutus, Arthritis, Febres in-

intermittentes (male curatæ, ut quibusdam placet,) Febres continuæ; Ingesta acria, vel acrimoniam inducentia, Venena, abusus potuum aquosorum, Vini adulterati; & multæ aliæ, quarum quædam ex hypothesi natæ & fictæ forsan magis, quam ipsa morbi natura fundatæ (*a*).

§. IV.

Causa proxima.

An memoratæ omnes & ejus generis plures causæ dolorem colicum, *pictonicum* dictum, excitare valeant, vel revera excitent, determinare non ausim. Enimvero videtur, quæcunque ex antecedentibus causis *Colicæ* ansam dederit, certam quandam dispositionem in Intestinis, causæ proximæ nomine, oriri, antequam dolor generetur; qua præsente, dolor excitatur & perseverat, ablata, dolor cessat; vel antecedente causa, ex qua hæc, tanquam proxima originem traxit, nondum penitus sublata.

§. V.

Incognita ex com-

Hæcce itaque Intestinorum conditio, ab

(*a*) Videatur præ omnibus anonymi Auctoris, medice docti, *Dissertation sur la Colique*, Bibliotheq. raisonn. Tom. VIII. pag. 30. Tom. IX. pag. 144 & 279. qui & ipse Bibliothecæ conscribendæ operam dat. Bibl. R. Tom. XLVI. pag. 38. *De Haen* de Colica Picton. pag. 18. &c.

paratione Colicæ cum aliis morbis indaganda.

ab antecedente cauſa nata, inquirenda maxime eſt, ut Morbo ſolamen adferri poſſit. Hanc incognitam ſuppono hactenus; ſaltem a nemine quantum ſcio indicatam. Hæc indicatu facilis non videtur. Sedula forte facta comparatione hujus cum aliis morbis magis cognitis, aliquid luminis, quod maximopere ſperandum, indagationi affulgebit. Pretium operæ me facturum credidi, meos qualescunque intendere conatus, ad detegendum, quid valeat in morbis analogia, & experimentorum in hiſce cum aliis collatio.

§. VI.

Similitudo *Colici* cum *Dyſenterico* dolore.

MORBUS hicce, ſive *Dolor colicus*, morbum conſtituens imprimis aſſimilari debet illi, qui cum ipſo maximam habet affinitatem; qualis in *Dyſenteria* dolor eſſe videtur, vel qui ejusdem frequentisſima ſequela eſt, *Teneſmo*. Ambo etenim & hic, & qui in *Colica* de qua agimus, ſentitur, Inteſtinorum affectiones ſunt, & multa cum invicem communia habent.

1. Dyſenteria, imo & Teneſmus, in quem, ſi præcipua ſymptomata ſuperaverit æger, ut SYDENHAMI verbis utar, & morbus in longum trahatur, Inteſtina ordine quæque ſuo, deorſum verſus affici videntur, donec in rectum inteſti-

testinum malum omne detrudatur & in Tenesmum desinat (*a*); Dysenteria, inquam, morbus est dolores, torsiones & cruciatus Intestinorum infestissimos inducens. *Colica Pictonum* dolorum crudelitate & molestia, ægros vix momento sibi relinquente, sed & perpetuos in reptatus, & desperabundas quasi vociferationes incitante dignoscitur. Perforanti terebræ vel palo intestinis infixo utriusque morbi dolores ab ægris æquiparantur, & pene simillimi describuntur.

2. Dysenterici vel & Tenesmi dolores non omni tempore æque molesti esse solent; & per intervalla denuo aggrediuntur. *Colica Pictonum* nonnunquam inducias facit, ægroque solamen concedit; dum ex improviso reduplicatis quasi viribus, majorique quam antea ferocitate, rursus invadit.

3. Uterque morbus utplurimum levioribus accessionibus incipiens, & ab ægris neglectus, sensim dolores & tormina graviora & frequentiora infert.

4. Nauseæ & Vomitus *Colicæ Pictonum* frequenter adsunt. Dysenterici morbi dolorum haud raro perpetui fere comites (*b*).

5. Vi-

(*a*) *Sydenh.* Oper. pag. m. 180.

(*b*) Videatur *Degnerus* in Historia de Dysenter. bilioso-contagiosa, pag. 15, 33. & alibi passim.

5. Vigiliæ perpetuæ, Deliria, Convulſiones, dolori *colico* & dyſenterico communes ſunt (*a*).

6. In Teneſmo dyſenterico Muci inteſtinalis fere perpetuæ egeſtiones. Simile quid, minori tamen cum frequentia, in *Colica* obſervatur; ob loci affecti, ut videtur diverſitatem, in *Colica* ab Inteſtino recto remotiorem.

7. Dyſenterici Teneſmi dolores exaſperantur Medicamentis acrioribus, ſtimulantibus omnibus; leniuntur demulcentibus, oleoſis, mucilaginoſis, ſine calore roborantibus vel adſtringentibus. Idem omnino in *Colica* noſtra obſervatur, a Medicis in rem intentis non tantum, ſed & dolentibus & ſenſu admonitis ægris.

8. Teneſmi dyſenterici dolores longi ſunt, & haud raro omnibus Remediis reſiſtentes. Eadem conditio *Colicæ Pictonum* characterem conſtituit (§. I. II.).

9. Ut Dyſenteria ſæpe; ſic *Colica Pictonum* quandoque epidemice graſſatur (*b*). An contagioſa quoque ſit, certo adfirmare non poſſum; nonnunquam tamen plures in una domo eadem ſimul decumbentes

(*a*) *Degner.* pag. 17.

(*b*) *Æginet.* Lib. III. cap. 43. *Citeſ.* de Colico dolore pictonico, pag. 170, 204. Bibl. raiſonn. Tom. VIII. pag. 30. *Huxham* de Morbo colico Dammon. pag. 5.

bentes vidi, idque ab aliis etiam observatum esse scio. Imo ut uno verbo absolvam, quandoque *Colicæ* cum Dysenteria tanta intercedit convenientia, quod ex casu inferius enarrando patebit (*a*); ut quo nomine, vel qua methodo describi & percurari debeat, dubium valde, incertumque sit.

Ex hac horum morborum in multis similitudine, aliquam qualemcunque suspicionem nasci mihi videtur, ejusmodi dispositionem Intestinorum, quæ in Tenesmo dysenterico, diros cruciatus excitat, in *Colica Pictonum* dolores crudelissimos procreare. Neque tamen in omnibus, vel penitus consimiles esse morbos statuo. Non Morbi cum Morbo, sed doloris hujus cum doloribus alterius maximam intercedere convenientiam ostendere volui. Dejectiones fere perpetuas, liquidas, & sæpe cruentas, Dysenteriæ familiares; & omnium fortasse torminum caussam (non dico proximam) constituentes, a *Colica* nostra alienas esse, ut verissimum, ita omnibus notissimum, suppono.

§. VII.

CONSULENDI itaque sunt, ut Dysenteriæ *Dysenteriæ & Te-*

(*a*) Infra, ad finem Tentaminis.

nesmi causa proxima incognita.

teriæ vel Tenesmi causam proximam indagemus, Auctores, qui de hoc morbo scripserunt, optimi; consulenda tandem experientia est. Ast, quod maxime dolendum, dicam an mirandum, vix quicquam apud Scriptores reperitur, quod attento in hanc rem indagatori satisfacere potest. De acri quodam Intestinorum humore, sive inquilino & præter naturam depravato, vel aliunde in ea delato, frequens quidem mentio occurrit; acrimonia quædam venenata, stimuli inimici vicem gerens, ut causa proxima unanimiter admittitur. Atqui hæc, ut nihil explicant, ita novæ obscuritatis causam inferunt: quippe quale sit verum stimuli dysenterici ingenium, nemo sagacissimorum Medicorum depinxit hactenus, ut jure merito animadvertit doctissimus TRALLES *(a)*; adsentitur DEGNERUS *(b)* aliique. In hoc Morbo itaque non minus quam in sævissima *Colica*, id quod torminibus oriundis occasionem præbeat proximam, in *Democriti* puteo latere hactenus, cum laudatissimis viris, dici potest. Missis ergo hisce, in dolorum causam proximam solam, non æqualiter obscuram credo, inquirendum est.

§. VIII.

(*a*) *Trall.* Exam. rigorosf. pag. 166.
(*b*) *Degner.* Hist. pag. 45, 75, 82.

§. VIII.

Ex Symptomatibus forte & circumstantiis quibusdam dysentericum morbum concomitantibus, quæ sensibus observari possunt, Morbi natura, vel doloris ejusdem causa proxima illustrari utcunque poterit. In Dysenteria vel Tenesmo dysenterico sequentia, ex Morbi historia, & experientia, præ omnibus aliis maxime notabilia, & communia esse discimus. Ex Symptomatibus detegenda.

1. Mucosæ materiæ, majori vel minori copia egestiones. Id cuilibet Dysentericis medicinam facienti, excernendorum inspectione, notissimum est. De Dysenteria agens *Sydenhamus*, „Dejectiones," inquit, „mucosæ sunt omnes (*a*)." Idem, de Dysenteria epidemica, passim testatur *Degnerus*; ne infinitos numero alios adducam. Præcipuorum enumeratio.

2. Ramentorum villosæ Tunicæ Intestinorum abrasæ ejectiones cum excrementis; quorum exempla, sat magno numero, apud Observatores antiquos non minus quam recentiores obvia sunt. De Ramentis Intestinorum, ablata ipsorum superficie interiore, quæ membranosa est, & quæ cutim exterius contegit, Epidermidi proportionalis, monuit GALENUS

(*a*) *Sydenh.* pag. 179, 601.

NUS (*a*). Præter maximam puris copiam, membranam excretam fuiſſe longitudinis ulnæ, ſe vidiſſe ait HERCULES SAXONIA (*b*). De interioris Inteſtini recti Tunicæ excretione, mentionem facit TULPIUS (*c*). Portiones Tunicæ villoſæ Inteſtini recti humani, e corpore vivo, poſt cruciatus immanes, & dejectiones cruentas, ſuo tempore demonſtravit RUISCHIUS (*d*). De villoſæ membranæ fragmentis, per anum ejectis, & omni cura perluſtratis, ne ulla ſpurii ex Muco facti concrementi ſuſpicio ſupereſſet, obſervationem dedit clariſſimus SIMSON (*e*). De fecibus alvinis, Tunicæ interioris villoſæ abraſiones referentibus, ſcribit laudatus jam antea *Degnerus* (*f*).

3. Ulcera magis minusve profunda, in Inteſtinorum parte intima, fœtida, imo maligna, cancroſa, ex abraſionibus orta, & facile oriunda (*g*). Non male itaque DURETUS, de Lienteria agens, „Cauſa", inquit, „altera præcipitis egeſtionis, propintereaque crudæ, quæ in-„ con-

(*a*) *Galen.* in Aphor. *Hippocrat.* comment. IV. 26.
(*b*) *Hercul. Saxon.* Panth. Med. pag. 260.
(*c*) *Tulp.* Obſerv. pag. 204.
(*d*) *Ruiſch.* Theſaur. anat. I. Aſſ. III. N. VI.
(*e*) Medical Eſſ. Edinb. Vol. V. Part. II. pag. 656.
(*f*) *Degner.* Hiſt. pag. 15, 25, 142.
(*g*) Id. pag. 142.

„ continentiam Ventris ostendit, ---- est
„ aphthosa Ventriculi tunica, id est, le-
„ vis & superficie tenus impressa exulce-
„ ratio, qua similiter fit in alvo Liente-
„ ria, ut Stranguria in Vesica *(a)*".

Confirmant quæ dicta sunt, Dysentericorum dissectiones anatomicæ. *Bontius*, apud BONETUM, se aperuisse dicit aliquot cadavera Dysenteria mortuorum; inter quæ corpus militis cujusdam e diuturna Dysenteria vita functi, cujus Intestina vehementer inflata, ac eorum interiorem tunicam plane abrasam invenit *(b)*. Idem *Bonetus* ex *Benivenio* annotat, Dysenteria laboranti, mutuo utriusque lateris ulcerati contactu, Intestina coaluisse *(c)*. In Intestini Coli portione, circa Rectum abscissa, magna & varia ulcera, a prægressa Dysenteria producta, vidit *Ruischius (d)*. De *Colica pictonica* ex *P. Milonis* primarii Regis Medici adversariis, apud *Citesium* mentio fit; in defuncti cadavere Intestina, aliquot locis, distenta adeo fuisse, aut ita extensa, ut pene rumperentur, vel fractis vel exesis, bilis ipsius acrimonia

(quæ

(a) *Duret*. in Coac. Hippocrat. pag. 335.
(b) *Bonet*. Sepulchret. Tom. II. pag. 170.
(c) Ibid. pag. 172.
(d) *Ruisch*. Thesaur. anat. IX. N. LXII. lit. K.

(quæ ex vulgari tunc temporis hypotheſi, dolorum cauſa habebatur) interioribus tunicis (*a*). Caſus, certe, ob ſimilitudinem repertorum, antecedentibus jure merito adnectendus.

§. IX.

Dyſentericorum dolorum cauſa proxima Muci abſceſſio videtur.

Liquidas Dyſenteriæ dejectiones, quæ vel ſine dolore ſunt; vel non magnos ab initio in omnibus dolores inferunt, minime morabor; de cruciatibus morbo confirmato vel in Teneſmum jam mutato, ægros infeſtantibus, ſolum agere, inſtituti ratio poſtulat. In horum cauſam, non priorum, inquirere animus eſt. In Dyſentericis itaque & Teneſmi affectionibus diris, Muci inteſtinalis abraſiones, ſaltem abſceſſiones, & quæ exin ſequuntur, Tunicæ interioris vel denudationes vel excoriationes, quacunque demum cauſa productas, ad excitandos dolores, maximas partes agere, vero quam ſimillimum videtur. Ex anatomicis etenim & theoreticis notiſſimum eſt, Inteſtinorum ſuperficiem intimam, in ſtatu ſano, abundanti Muco obliniri; qui ſi nimis cito abſcedat, ut in Diarrhœa & Dyſenteria, ex dejectionibus mucoſis, ad oculum apa-

(*a*) *Citeſ.* pag. 232.

paret, (clarissimi MONROI verba mea facio,) vel minori, quam decet, copia secernatur, ut in Inflammationibus aliisque morbis; facile concludendum est, quæ inde necessario sequi debeant (*a*); dirissimi nimirum & atrocissimi dolores. In motu peristaltico, (BOERHAAVII verba sunt,) membranæ Intestinorum perpetuo ad se invicem confricantur; sensilissimæ dum sint, oriretur dolor intolerabilis, si nudæ valvulæ nudas contingerent, neque interponeretur Mucus, ex cryptis & glandulis varii generis expressus (*b*). Quare homines, ut alio loco se explicat idem Auctor, celerrime pereunt ab Inflammatione & excoriatione Intestinorum (*c*). Similem conditionem in Dysentericorum Intestinis adesse, vel Dysenteriam, ut effectum sequi *Sydenhamus* auctor est; causam abrasionis insuper adjungens: importuno, dicit, Intestinorum nisu, quæ omnem adhibent operam, ut humores acres continuo infestantes expellant, Mucus iste, quo naturaliter obducuntur, singulis sedibus, nunc parcius nunc copiosius, una egeritur (*d*). Dolores idcirco, in hisce affectibus

(*a*) Medical Ess. Edinb. Vol. IV. pag. 82.
(*b*) Prælectiones *Boerhaav.* Vol. I. pag. 294.
(*c*) Ibid. pag. 297.
(*d*) *Sydenh.* Oper. p. 182.

tibus crudelissimos, & quæ inde enascuntur symptomata, Vigilias, Convulsiones, & ejus generis plura, a prima tunicarum internarum denudatione incipere; ac eousque sævire, donec ad naturalem statum, Muco instaurato & relicto, redierint tunicæ; Morbi periculum, sanationem vel mortem, ex gravitate seu magnitudine hujusmodi læsionis, vel maxima ex parte, vel unice dependere, plusquam simillimum vero esse, ut & omnes observationes confirmare videntur.

§. X.

Eadem causa proxima ad *Colicam* applicata.

IDEM, perfecte, vel quidquam huic simile, etiam in aliis Intestinorum morbis, dejectionibus dysentericis vel irritis Tenesmi conatibus non stipatis, locum habere, si demonstrare potuerim; *Colicæ* nostræ cum Dysentericis aut Tenesmi doloribus, respectu causæ proximæ similitudo, non minus quam vera ejus natura, ut credo, haud obscure patescet. Id fieri posse, observationum auctoritate demonstrare conabor. Ventriculi tunicas erosas plane, post mortem repertas fuisse, ex abusu, ut dicitur, magisterii Perlarum, sine ulla Dysenteriæ antegressæ, vel Muci, aliorumve præternaturalium, ex Intestinis dejectionibus, facta mentione,

ne, ex *Cratone* auctor est *Bonetus* (*a*). Ventriculum & reliqua viscera, ex usu spiritus Vitrioli erosa fuisse, ex alio monet (*b*). Ex *Marcello Donato* historiam enarrat Vomitus fere continui, non adsumtorum tantum, sed & Pituitæ, magna in copia, cum iis permistæ, ad mortem usque perseverantis; In cadavere dissecto, in ima Ventriculi regione, juxta os infernum Tunica interior exesa conspiciebatur (*c*). A doctissimo *Simsone* antea laudato observatio maximi ad causam nostram momenti, Actis Edinburgensibus inserta legitur. Phthisi pulmonali nempe defuncti viri cadavere dissecto, ubi Ventriculus & Intestina aperta fuerunt, vix ullæ in iis aderant Rugæ. Membrana villosa paucis tantum in locis Intestinorum superficiei intimæ connexa erat: verum abrasa hujus fragmenta, passim, per intestinalem tubum dispersa inventa fuerunt, rubicunda admodum, & quasi arte injectoria repleta. Nervea tunica denudata erat in Ventriculo æque ac Intestinis, nullibi fere tecta, nisi in Intestino recto, & Coli parte huic vicina (*d*). Galeni in se ipso observatio, propter vi-

(*a*) *Bonet.* Sepulchret. Tom. II. pag. 67.
(*b*) Ibid. (*c*) Ibid. pag. 90.
(*d*) Medical Ess. Edinb. Vol. V. Part. II. pag. 655.

viri & antiquitatem & auctoritatem, reique similitudinem, hic adduci meretur. In dolore, qui ipsum invaserat, acerbissimo ita ut sibi videretur in intimo ventre terebra perforari, se pituitam vitream per alvum excrevisse refert, atque id aliis quoque accidere meminit. Hujusmodi sane dolores, inquit, perinde ac si terebra partes perforentur (quam similes hisce sunt ægrorum nostrorum, *Colica pictonica* decumbentium querelæ, ipsissimis verbis frequentissime prolatæ!) molestare solent, narrantibus ita infirmis; alii vero, veluti palo infixo fieri videntur (*a*); sine ulla Dysenteriæ memoratione adjecta. Non moror nunc magnum virum Pituitam excretam criticam dolorum solutionem, non causam existimasse unde dolores antea nati. Hic antiquorum non tantum, sed & recentiorum multorum auctorum communis error, nostris temporibus, satis superque confutatus esse videtur. De ramentosis per alvum excretis, in biliosa *Colica*, loquitur ALEXANDER TRALLIANUS (*b*). Pituitam tenacem magna copia vomitu ejectam, in Morbo colico epidemico Damnoniorum

(*a*) *Galen.* de Loc. affect. Lib. II. cap. 5.
(*b*) *Alexand. Trall.* Lib. X. cap. 1.

rum scribit, egregius HUXHAMUS (*a*). Ipse ego ab ægris, Ventriculi dolore chronico & *Colica* laborantibus, aliquando Mucum, ingenti copia, per alvum rejectum vidi, nulla existente Dysenteriæ nota, cum caruncnlis intermixtis; de quibus apud Veteres æque ac recentiores, frequens mentio, cum urina non minus quam fecibus alvinis excernendis (*b*).

§. XI.

NON abs re fore mihi videtur, quæ de ejusmodi Muci lubricantis abscessione in aliarum partium morbis observata fuerunt, antedictis adnectere. Oesophagum fabrica intestinali tubo similem esse, vel cum eo unum continuum canalem constituere; Oris, Fauciumque internarum superficiem, Laryngis itidem & asperæ Arteriæ, simili omnino structura, cryptis mucosis multiplicibus ditatam, ex anatomicis hodie plusquam notissimum est. Omnes has partes Muco tenaci, in statu sa-

Muci abscessiones in aliarum quoque partium morbis observatæ.

(*a*) *Huxham* de Morbo col. pag. 5.

(*b*) Σάρκες dixit *Hippocrates* Sect. IV. Aphor. 26 & 76. *Celsus* Caruncnlas vocat. Lib. II. cap. 7. pag. 60. An contracta & corrugata fragmenta Membranæ intimæ tubi intestinalis? Sic clarissimus *de Gorter* ad Aphor. citatum 26. Videatur etiam *Degnerus*. Hist. pag. 25.

ſano, obliniri & muniri; easque in ſtatu morboſo eo orbari, indeque denudari poſſe, multa ſunt quæ nos convincunt. Quin intimam omnium dictorum organorum membranam abſcedentem foras ejici, hiſtoriæ practicæ docent. De Laryngis internæ Tunicæ fragmentis, tuſſiendo ejectis, mentionem facit *Tulpius* (*a*). In Aphthis ſimile quid contingere, ex mucoſis non tantum, ſed & membranoſis, quæ eructando per os ejiciuntur; & per inferiora, cum alvinis fecibus excernuntur, haud temerarie concluditur. Obſervationes in nupera, quæ in Anglia primum, dein etiam Pariſiis graſſata eſt Angina gangrænoſa, vel ſtrangulatoria, factæ; quæ ex præclari CHOMELII & egregii FOTHERGILII tractatibus de hoc morbo conſcriptis, videri poſſunt (*b*); id multis argumentis confirmare poſſunt. In hac Anginæ vel Aphtharum ſpecie, de cruſtis Faucium interiori ſuperficiei adhæ-

(*a*) *Tulp.* Obſerv. pag. 294.

(*b*) *Chomelii* & *Fothergilii* tractatuum excerpta leguntur in Diario Eruditorum, *Journal des Sçavans*, 1749 Novemb. pag. 333. &c. 1750 Juin pag. 379. Morbus haud immerito aphthoſus dici poſſe videtur. Journ. des Sçav. 1749. Nov. pag. 345; vel Pædanchone a *Severino* deſcripta, *Hall.* Meth. Stud. med. Tom. II. pag. 957. *Severin.* de recondita Abſcesſ. nat. pag. 513.

hærentibus, labentibus iterumque de novo prodeuntibus; de ulceribus malignis, magis minusve profundis, exinde natis; de Narium hæmorrhagiis, ex erosione Membranæ pituitariæ ortis; quibus haud raro Vomitus & Diarrhoeæ fuerunt comites, frequentissima fit mentio. Inprimis huc quadrant quæ de morbo strangulatorio, memoratam Anginam epidemicam vehementia & malignitate multum superante, cum Societate regia londinensi communicavit doctissimus J. STARR. Ille enim in principio morbi pelliculas ex Oris interni partibus abscedentes vidit, quasi gangræna affectas & separatas, aliquando cum ingenti Muci glutinosi copia iis tenaciter adhærente. In alio ægro, puero decem annorum, morbo ad statum magis appropinquante, ingentem membranæ partem, a Velo palatino separatam, materie mucosa non pauca adhærente; & præterea, integrum mucosum tubulum Laryngis & asperæ Arteriæ maximæ divisionis & ramificationis Bronchiorum, ab eodem ægro rejectum, vel ex ore paterna manu extractum, delineat; Respiratione exinde facta difficili, & brevi post suffocata penitus (*a*). Immo vero quod magis forte mirabile cuipiam videbitur,

(*a*) Philosophical Transact. N. 495. pag. 435.

bitur; Febrem lentam habitualem ex præternaturali Ventriculi intime denudati sensilitate nimia originem sumere posse ab illustri Fr. Hoffmanno adsertum videmus. Ejus verba maxime memorabilia hæc sunt: „ Quæ ab Intestinorum & Ventriculi erosione accidit Febris lenta tabescens, omnia acria salsa, acida, stimulantia, ceu venenum experitur; ipsum rhenanum vinum, propter acorem non fert; dulcia etiam & fermentescibilia, nec non omnes difficilioris solutionis cibi, eandem exacerbant. Curatio vero difficillima est, nec alia poscit quam demulcentia & roborantia *(a)*". Quisquis est, ut ad vulgaria tandem provocem, quin experientia quotidiana in se ipso didicerit, narium Muco, dum Coryzam contraxit, tenui facto, vel membranæ intimæ, sufficiente copia non adhærente, internam Narium superficiem, cum dolore excoriari.

§. XII.

In Stranguria visibiles.

Si ad Stranguriam attendamus, in qua si longa est, insignis sæpe excernitur, inter maximos cruciatus, Muci a Vesica ab-

(*a*) *Hoffman*. Med. Rat. System. Tom. IV. Sect. II. cap. 13.

abſcedentis copia, vias urinarias & Veſicam in ſtatu ſano oblinientis, & contra acrimoniam lotii defendentis; eadem hic ac de Dyſenteria & Teneſmo antea dicta ſunt, accidere videbimus. Mucum pituitoſum, cum urina, magnas inter moleſtias ejectum, tenaciſſime cohærentem, veræ quaſi membranulæ forma, matulæ majoris fundum penitus obtegentem, diris inter mingendum cruciatibus anſam dediſſe, in id usque tempus diſtentis, donec urina mera, Muco intus reſtitante denuo emitteretur, quam ſæpe cum miſeratione vidi ipſe & alii! Morbus ut moleſtiſſimus & difficilis curatu, multa cum Teneſmo Inteſtini recti, inde forte non male Teneſmus Veſicæ dicendus, quod ad Symptomata & cauſas communia habet.

§. XIII.

Videmus itaque ex iis quæ dicta ſunt hactenus, quibus & multa alia ſi opus eſſet, facile potuiſſent adjungi; quascunque partes organicas admittendis vel transmittendis cum ſolidis tum liquidis, non naturalibus, naturalibus & excrementitiis adaptatas & deſtinatas, Muco ſufficiente in ſtatu ſano defenſas, ob ejusdem materiæ mucoſæ vel depravationem vel defectum multa mala pati. Hinc varia & lon- Concluſio aſſimilationis.

longe ab invicem diverſa Symptomata, a ſtructura & uſu partium diverſo dependentia; in Dyſenteria & Teneſmo tormina Ventris & cruciatus infeſtiſſimi, in Ventriculo Cardialgia, in Veſica vel Meatu urinario Stranguria, in Faucibus vel Deglutitionis vel Reſpirationis difficultas vel impotentia; prout Oeſophagus, Arteria aſpera aliæve partes affectæ fuerint.

§. XIV.

Antedictorum applicatio ad *Colicam.*

HÆC ſi ad *Colicam* noſtram applicentur, veroſimile, ut mihi quidem videtur, unicuique apparebit; acerbiſſimos in hac dolores, ejusmodi ac de Dyſenteria, aliisque morbis jam demonſtrata eſt, vel non multum diſſimili Inteſtinorum conditioni, ceu cauſæ proximæ, originem debere. Supponamus, illuſtrationis gratia, in Inteſtinorum tenuium certa quadam parte, Mucum, eorum latera lubricantem, ex folliculis glanduloſæ, vel ſi magis placeat denominatio, nervoſæ vel celluloſæ membranæ deficere, vel præternaturaliter eſſe conſtitutum, tenuem nimis, minusve, quam decet, ſe lateribus Inteſtinorum agglutinantem (*a*); ſive cauſa quadam

(*a*) Ne miretur quisquam, me in tenuitatem Muci folliculoſi culpam convertere, cum de ramentis cras-

dam violenta abrasum; quæ exin contingere debeant, facile est prævidere. Nuda relicta interior tunica sensu acutissimo prædita, membranarum ad invicem fricatione primum, dein ab omnibus canalem pertranseuntibus, ingestis, secretis, duris vel acribus quibuscunque, dolore afficietur intensissimo. Denudationem, si diutina sit, quia nunquam non partes Intestinorum internæ vel ad invicem vel ad contenta moventur, & perpetuas fricationes patiuntur, necessario sequetur villosæ Tunicæ excoriatio, erosio, Intestinis, præ aliis partibus omnibus, maxime sensibilibus, dolorem inferens. In omni corporis parte Epidermide denudata, a levissimo non acrium tantum quorumvis, Aceti puta, vel Salis cujusdam, sed & blandissimorum corporum attactu dolorem experimur; in Intestinis vero ea ratione acriorem qua sensum habent sagaciorem. Quoties contingit in homine, post vio-

crassis & Pituita tenaci, quæ adduxi exempla loquuntur. Mucum etenim nimis tenum esse posse, quam ut lateribus agglutinetur, eundemque nihilominus extra corpus ejectum, tenacis pelliculæ formam inducere Stranguria, longa inprimis docere potest. In hac, cum urina homogenee mixtus & profluus mucus, non nisi turbulentia quadam detegendus emittitur: perfrigerata vero urina, ab ea secedens, urinalis fundum, crusta mucosa, tenaciter cohærente, tegit. Vid. exemplum ad finem Tentaminis.

violentas nimis alvi Purgationes, ut cum *Ruiſchio* loquar, tegumentum Papillarum inteſtinalium deglubi a Papillis ſubpoſitis, tum vero cruciatuum infeſtiſſimi corpus aggrediuntur (*a*). Ideam certe *Colici* doloris Menti imprimunt ad hæcce attendenti, ſi quæ ulla ſint, quæ morbi aliquam imaginem efficere poſſunt. Mirum itaque videbitur nemini hæc perpendenti, Dolores colicos infeſtiſſimos ex ejusmodi cauſa, in Inteſtinis exiſtente, naſci, eosque ab acribus, calefacientibus, irritantibus, ſimulac Inteſtinorum denudata latera tetigerint, immaniter augeri; demulcentibus e contra, oleoſis emollientibus leniri, ut in externis excoriationibus ſimili modo obſervamus. Congruit cum dictis obſervatio laudati antea (§. X.) *Simſonis*. De illo etenim viro, dum in vivis eſſet, ſequentia notatu digniſſima memorantur. A longo tempore nihil quicquam, quod ſolidum erat, adſumſerat, præ intenſo Ventriculi & Inteſtinorum dolore, a tantillo horum ingurgitato. Tribus ultimis ante obitum hebdomadis nil niſi aliquando pauxillulum aquæ puræ, quantum cochleare capit, lente ſorbillando hauſerat; cujus ſingulæ guttæ ardoris ſenſum, quaſi a candente pruna,

(*a*) *Ruiſch* Adverſar. Dec. II. pag. 26.

na, ut ipſe ſe exprimere ſolebat, in Ventriculo excitabant. De valetudinaria muliere, villoſæ Tunicæ inteſtinorum fragmenta cum fecibus alvinis ejiciente, cujus etiam jam antea (§. VIII) mentionem injecimus, idem Auctor memorat; ipſam a longo tempore ſenſiliſſimum habuiſſe Ventriculum, adeo quidem, ut ſumma cautione deglutienda quævis exploraret, ab omnibus fere dolores intenſiſſimos ſtatim poſt ingeſtionem pati ſolitam: exactiſſimam, quam obſervare cogebatur Diætam, maximum ipſi quidem præſtitiſſe ſolatium, morbo interim non niſi morte terminato. Quam ſimiles ſunt *Colicæ* noſtræ diriſſimi cruciatus, ab ingeſtis non tantum omnibus, momento citius poſt ingurgitationem exacerbati, doloribus horum ex denudatione intimæ Inteſtinorum Tunicæ, autoptica inſpectione detecta, natis! Adde quod *Colicam*, bilioſam dictam, ex Dyſenteria antegreſſa ortam obſervavit *Sydenhamus* (*a*); non levi indicio, excoriationes, poſt diuturna tormina a Dyſenterico morbo, relictas fuiſſe, colicis poſtea doloribus, a bile, ex arbitrio magni viri, deducendis, anſam præbentes.

§. XV.

(*a*) *Sydenh.* Oper. pag. 207.

§. XV.

Ex natura Tunicæ villoſæ a *Monroo* demonſtrata, illuſtratio.

Ad faciliorem intellectum eorum, quæ dicta ſunt, haud parum forte conferre poterunt quæ a clariſſimo *Monroo*, de Membranæ inteſtinorum villoſæ natura, in citatis jam pluries Actis Edinburgenſibus tradita leguntur. Tunicam hanc villoſam, Inteſtina, Ventriculum, Oeſophagum, Fauces, Linguam, totumque os interne obtegentem, Cuticulæ, externi corporis ſuperficiem inveſtienti, ſtructura omnibusque fere characteribus ſimilem eſſe oſtendit, ni unam omnino eandemque continuatam membranam. Similium utriusque præcipuarum conditionum conſiderationem paucis ex Celeberrimi viri dictis addere lubet.

1. Utraque Membrana nerveas productiones ſuperveſtit; utraque tamen pervia eſt, liquoribus exeuntibus introeuntibusque: imo tangentibus corporibus ad Nervos ſubjectos penetrandis patulam ſatis viam libertatemque concedentes.

Alterutra abraſa partes ſubjacentes non ſenſiles ſed dolentes redduntur.

2. Aquei, tenues liquores vel quæ ſalia ſoluta continent Lixivia, Cuticulam deſtruunt; mucaginoſa tenacia eandem contra dictorum actiones, aliorumque corporum abſumentes frictiones defendunt;

quam

quam ob caufam iftis locis ubi maximis frictionibus expofita eft, maxima etiam copia, mucaginofam fuboleofam vel febaceam materiem propriis organis fecerni & excerni videmus. Eodem perfecte modo Inteftinorum Membrana intima, in ftatu fano, muco glutinofo fatis copiofo oblinita & defenfa eft; neceffitate id æquali jure exigente.

Aquoforum, acriorumve liquorum abufus Morbos a Tunica villofa oriundos inferre poteft.

3. Cuticula externa frictione, eandem non deftruente, indurefcit, & craffior redditur, ut ex infuetis laboribus quotidie videmus. Simile quid, compreffione, in Membrana villofa contingere, docent obfervationes de folidis non naturalibus corporibus, vel naturalibus præternaturaliter autem concretis fubftantiis, longo tempore in Inftinorum parte feclufis; eorum membranas eo loco induratas & callofas facientibus (*a*).

4. Epidermide a Cute abrafa, humorum

(*a*) Hujusmodi craffitudines vel callofitates in Oefophago obortas, viam deglutiendorum arctantes, Famis lethalis caufam fuiffe exempla funt, quæ docuerunt. Act. Phyfico Med. Naturæ curiofor. Vol. VI. pag. 270. *J. E. F. Bulif.* Difputat. de Fame lethali ex callofa oris Ventriculi anguftia, indicat. in Eruditorum Diario. *Journ. des Sçav.* 1752. p. 222.

rum larga copia ex cutaneis vaſculis effunditur. Idem in Inteſtinis, Faucibus aliisve partibus accidit, villoſæ ab earum ſuperficie interna Tunicæ ſeparatione.

Liquidarum dejectionum in Dyſenteria, ſalivationis in aphthoſo morbo ſcaturiginem explicat præſens obſervatio.

5. Cuticula a Cute ſubjacente relaxata, nondum tamen ſeparata, craſſior evadit, inprimis quando liquoribus macerata & tumefacta eſt. Neque id ab Inteſtinorum villoſa Tunica alienum eſt, ut ex craſſis & tubularibus fragmentis, per anum ſæpenumero ejectis, manifeſtum eſt; vel in Aphthis, excreando per os emiſſis.

6. Cuticula nec facile putreſcit, nec leviori cauſa exeditur; ut in Abſceſſu, Gangræna, & applicatione Lapidis ſeptici, ad interiora vi deſtructoria penetrantis, integra relicta Cuticula. Simili conditione etiam Villoſa gaudere videtur; neque a tam multis tamque diverſis, ſub cibi potusve nomine ingeſtis & applicatis, in maximum vitæ & ſanitatis humanæ bonum, facile deteritur, exediturve.

Frequentiores ſine hac Villoſæ conditione eſſent Inteſtinorum morbi a vitio hujus tunicæ oriundi.

7. Utrique tandem vel id commune eſt, dum ſeparantur facile, citiſſime quoque

que, præ omnibus aliis corporis, alterius ſtructuræ, partibus, regenerentur, adlatumque a denudatione damnum reſtituant (*a*).

Hinc morbi & Dyſenterici & *Colici* ſubitanea ſæpe curatio.

Ex hiſce, niſi fallor, evidentiſſime apparet, quæ antea de Membranæ inteſtinorum villoſæ denudationibus vel excoriationibus ejusdemque redintegratione, ex obſervatoribus adducta fuerunt, multaque alia hiſce ſimilia, vel in colico vel in dyſenterico morbo obſervata, vel obſervanda deinceps, non irregulares & oppido raros eſſe caſus, vix ab uno alterove animadverſos; ſed ut reipſa viſos, etiam ex natura Villoſæ perſpecta oriri facile poſſe: ſtabilitamque hypotheſin, de doloris pictonici cauſa proxima, vero ſimillimam, ne dicam indubitatam reddi.

§. XVI.

Colicæ ſymptomatum ex eadem cauſa proxima explicatio.

De Dolore *Colicæ* noſtræ in genere me nunc ſatis ſuperque demonſtraſſe opinor, quomodo ex mucoſæ Inteſtinorum materiæ defectu vel abraſione oriri poſſit. Attamen quoniam & alia Morbi ſymptomata ſunt, quæ non individui quidem comites,

(*a*) Medical Eſſ. Edinb. Vol. IV. pag. 80.

mites, hoc nihilominus vel alio tempore, ut *Colicæ pictonicæ* sequaces ægros molestare solent; ea quoque, quod facile fieri poterit, ex antedictis resolvenda constitui. Præcipua sunt, quæ sequuntur.

1. Quod ad dolorem ipsum, illum non sine intermissione sævire, sed per intervalla ire & redire, idque *Colicæ* cum Dysenteriæ & Tenesmi doloribus commune esse, antea (§. VI. 2.) monuimus. In utroque morbo varietatem hanc, vel ab affectione ingestorum non naturalium sive inquilinorum, ob facilem vel difficiliorem transmissionem, majore minoreve acrimonia denudatas vel & excoriatas simul partes confricante; denique a Muci abrasi pro tempore restitutione, novaque iterum abscessione, facile deduci posse quisque concedet.

2. Ab omnibus plerumque quibusvis ingestis, mitioribus, durioribus dolorem subitissime exacerbari (§. XIV.) antea dictum est. Nuda quoniam sensilissimaque Membrana intestinorum intima, nullum a peregrino corpore tactum sine dolore ferre potest; ut in Cute epidermide denudata quisque experitur.

3. Leviores in principio Morbi accessiones esse (§. VI. 3.) sensimque in graviores mutari facile percipitur. Muci quippe glutinosi & suboleosi defectus vel tenui-

tas,

tas, primo ſuborta ſenſilitatem quidem & dolorem infert, eo autem meliori reddito aut redintegrato, doloris ſequitur immunitas: ſæpius autem abraſo, vel non ſatis cito reſtaurato, excoriatio contingit, graviorum torminum cauſa procreatrix.

4. Alvi egeſtiones, quibus pertinaciſſime intercipiuntur, (nam in initio Alvi quidem frequens, ſed non adeo copioſus fluor aliquando adeſt) ex eadem origine deducere in promtu eſt. Præ dolore, nempe, ſæviſſimo conſtringitur tota inteſtinalis fiſtula variis locis, transeundorum motum deorſum intercipiens. Teneſmus quidem, ac in Dyſenteria non oritur, ſed perpetua tamen, in multis, alvi egerendæ cupido, a dolorum exinde ſperato, minime impetrato levamine inſtigata; toties quoties deceptis. Imo vero Teneſmo, in quibusdam, non abſimile quid, irriti nempe, perpetui tamen ad exonerationes conatus involuntarii; prout pars affecta Inteſtino recto propinqua vel ab eo remota fuerit magis. Sic & Flatuum detentiones, de quibus perpetuæ in omnibus querelæ, ex memorata conditione ortum habere extra omne dubium eſt. Adde, quod deficiente Tubi inteſtinalis lubricitate, ad facilem tranſitum adeo neceſſaria; quæ intus contenta ſunt, viæ duritate vel aſpredine retinentur; motu peri-

ri-

riſtaltico jam labefactato, vix propelluntur. Imo vero hunc lubricitatis defectum, & conſtipatam, hac de cauſa, alvum, dolorem colicum anteire, morbumque invaſurum præſagire, ægrorum multi propria obſervatione docuerunt; ex Alvi ſubita & inſueta conſtipatione hoſtilem asſultum expectantes.

5. Doloris in determinato Ventris loco conſtantia, vel ab uno in alium translatio, ab affecto vel uno vel plurimis ſimul Inteſtinorum locis dependere videtur.

6. Nauſea & Vomituritiones fere continuæ (§. VI. 4.) a ſpaſtica, præ dolore, Inteſtinorum ſecluſione & inverſo hinc motu ortum habent.

7. Quibusdam dolor circa umbilicum firmiter hæret; hiſce Ventris introtractio propria eſt, & dolorum ſumma ferocitas: quoniam Inteſtina tenuia, in quibus Morbi ſedes in hiſce magis fixa quam aliis, præ craſſis ſenſibiliora ſunt.

8. Vigiliæ, Deliria, Aurium tinnitus, Convulſiones, Cœcitas, Paralyſis, & quæ plura hujusmodi morbum hunc vel concomitantur, vel ſequuntur (§. VI. 5.) nervoſi generis ſymptomata; ex vehementia doloris, conſenſu difficile explicando, unice derivanda. Quam facile ex Inteſtinorum torminibus Convulſiones oriantur, docent Infantum lactentium mor-

bi,

bi. Paralyſin a multis pro Criſi hujus morbi, perperam tamen haberi a multis jam obſervatum fuit; quum apud plures *Colica* affectos, Paralyſi jam oborta, dolores eodem, quo antea, furore ſæviant, aut ſi quandoque remiſerint pauxillulum, brevi poſt, nova & quaſi redintegrata ferocia recrudeſcant (*a*). Mirabilis illa Ventriculi Inteſtinorumque ſagacitas in dignoſcendis iis, quæ corpori humano inimica ſunt, & quæ adeo validas convulſiones concitant, ut ſurſum & deorſum hoſtem eliminent; vel fibræ omnis ad hoſtilem acrimoniam præſentanea contracti-

(*a*) Id jam annotavit clariſſimus *Rega*, lovanienſis Profeſſor: „Evidens", inquit, „eſt Inteſtinorum cum toto genere nervoſo ſympathia. Condolent enim omnibus nervoſis partibus, & hæ viciſſim illis. Infantum tormina in Epilepſiam cedere, indies obſervamus. — Inteſtinorum dolor trahit in conſenſum alias partes, easque vel pertinaci Paralyſi reſolvit, vel conſtanter contrahit, ſed eas præcipue, quæ motui inſerviunt. Frequens equidem eſt in Praxi, Paralyſin *Colicæ* intentiori, quam *Pictonum* vocant, ſupervenire". Quin Paralyſin unius lateris, cum Aphonia, brachiique contractura moleſtiſſima, ex torminibus vehementiſſimis a Jalappæ Reſina & Tartaro vitriolato ortis, idem obſervavit. De Sympath. pag. 206. 208. Cujusmodi obſervationes ex aliis Purgantibus, ut Scammoneo vel alio, apud Auctores paſſim inveniuntur. Dicta hæc Sympathia *Hippocratem* vel alios veteres ſcriptores non latuiſſe videtur. De Humor. ad fin. Epidem. Lib. VI. Sect. 4.

tractilitas, etiam post mortem superstes (a), & ab acri admoto easdem convulsiones excitans, hic molestissime affecta, omnes systematis nervosi vires, in sui subsidium quasi excitare videtur, vel simili quodam ingrato sensu afficere.

§. XVII.

Prognosis incerta.

De Morbi eventu, ut ad alia nunc progrediamur, nil nisi quod incertum dubiumque est, pronunciari potest: tecta quippe & ab oculis remota Morbi conditio est. Experientia ex multiplici Morbi observatione nata, sola consulenda est; quæ causæ proximæ explicatione jam tradita, utcunque forte juvari poterit. Generatim Regulis quibusdam quæ præcipua sunt, comprehendi possunt.

Morbus difficilis est curatu.

Morbus, ut infestissimus ægro, sic difficilis curatu Medico est.

Difficile est quoscunque morbos a Muci lubricantis vitio genitos percurare; Muci inprimis depravata conditione, vel defectu, a vitio glandularum secernentium dependente. Muci simplex abrasio difficulter restituitur; quia quæ ad redintegrationem, vel deficientis suppletionem

(a) Prælectiones *Boerhaav.* Vol. I. pag. 279. *Hall.* ibid.

nem artificialem requiruntur, haud commode ipſi loco dolenti, ſine commixtione, (viriumque ita deperditione) cum aliis in inteſtinali tubo contentis, applicari, multoque difficilius retineri, quam diu neceſſitas exigit, queunt.

Curata *Colica* facile recidivat. Sæpe recidivat.

Muci naturalis morboſa conditio ſublata redit; cauſæ abradentes de novo incidunt; Excoriationes reſtauratæ denuo oriuntur: hinc novæ, prioribus in omnibus ſimiles tragoediæ.

Morbi periculum determinat Inteſtinorum dolores excitans peculiaris conditio. Ex Symptomatibus de ſtatu & eventu judicium eſt formandum.

Leviſſima *Colica* & maxime curabilis illa erit, quæ a leviori Muci folliculoſi ſeu abraſione, ſeu vitio orta & incipiens eſt; Muci ſola abraſio vel leviuſcula depravatio benignitate naturæ ſponte reſtauratur. Pejor erit, in qua Membranæ intimæ excoriatio adeſt; non niſi Membrana renata evaneſcente. Peſſima tandem, ſi Ulcera Inteſtinorum ſubſtantiam erodentia jam nata fuerint; Hæc perpetua ſorditie excrementitiorum ſpurcata, maligna ſæpe facta, curationem vix admittere videntur. Peſſima Inteſtinorum conditio peſſima quoque concomitantia ſymptomata ſecum ducit; Vigilias, puta, Deliria, Convulſiones & ejus generis plura; quare & ex hiſce de Inteſtinorum

interno ſtatu & morbi periculo, judicium ferri tuto poteſt. Facile cuipiam v. g. erit concludere, *Colicam pictonicam* Convulſionibus aliisque nervoſis affectibus, ſæpe redeuntibus ſtipatam, magnis excoriationibus, vel & Ulceribus in Inteſtinis jam obortis originem debere, nec niſi morte terminari.

Morbus nulla evacuatione critica ſolubilis.

Morbus nulla evacuatione critica ſolubilis eſſe videtur. A quibusdam magnis viris, Alvi ſpontaneum & liberale profluvium; vel Hæmorrhoidum aut Menſium exſolutionem, aliasque hæmorrhagias; vel Sudores copioſos, eum aliquando ſolviſſe & ſæpe ſolvere, dici ſcio: ipſe obſervare nondum potui. Per puſtulas vel ulcuſcula in extremo pede ſuborta, in noſtra ſaltem Regione, vix unquam judicatam fuiſſe, experimentorum rara mentio confirmat. Quæ de puſtulis cum ſudore benigno erumpentibus, morbumque levantibus, in morbo colico epidemico, narrat *Huxhamus* (*a*), in noſtris regionibus a quopiam rite & ſufficienter obſervata eſſe non liquet: immo & raro a clariſſimo viro viſæ videntur. De Intumeſcentia manuum pedumve vel circa talos oborta, rara quoque, Arthritide introverſa forſan excepta, idem mihi eſto ju-

(*a*) *Huxham* de Morbo col. pag. 8.

judicium, usquedum pluribus exemplis meliora ſim edoctus. Neque per ejusmodi evacuationes criticas morbus ſua natura ſolvi poſſe mihi videtur, niſi reſpectu cauſæ antecedentis ſolo; quæ in multis obſcura & incognita penitus, quanam evacuatione terminetur dici a nemine poteſt; vel, quod plus eſt, ipſo ſui genio evacuationem criticam dictam non admittit: ut v. g. Venena, vel venenata ingeſta, infectiones ex vaporibus vel halitibus corpori humano inimicis; ut in plumbariis, pictoribus, aliisque artificibus, quibus hic Morbus præ aliis familiaris creditur. Vera nihilominus Auctores tradidiſſe credo, eorum neminem falſitatis arguere tantilla animo inſidet cupido. Ipſos *Colicam* pictonicam, ſupervenientibus quibusdam evacuationibus terminatam vidiſſe, aſſumo. Etenim veriſſimum eſt, quo citius, poſt pertinaciſſimam conſtipationem, alvus ſpontanee ſolvatur, vel ſudores erumpant copioſi, eo citius morbum abiturum eſſe; non, juxta meam quidem ſententiam, quia hæc morbum ſolvant, ſed quatenus indicium præbeant, corpus a morbo liberari, ſpasmodicas conſtrictiones, vehementia doloris ortas, omnesque cum Secretiones, tum Excretiones turbantes & impedientes, jam ſolvi incipere; dolorum cauſam imminui,

& vel integre aut pro parte ſublatam eſſe.

Neque Caloris vel Frigoris in eum effectus ſatis perſpecti.

De Calore & frigore ejusque ad morbum vel auferendum vel inferendum virtute, nihil niſi quod dubium & incertum quoque eſt, ſtatui poſſe videtur. Licet enim hyems, propter frigus morbo inimica utplurimum obſervetur; videmus tamen, haud raro, vel media æſtate morbum invadere. Vidi difficillimam *Pictonum Colicam*, omnibus omnino Remediis, a me, aliisque præſtantiſſimis Medicis adhibitis reſiſtentem, media gelidisſima hieme anni hujus ſæculi quadrageſimi, ſponte reſolutam fuiſſe, neque, quantum ſcio, recidivaſſe hactenus.

§. XVIII.

Ad Curationem tranſitio.

Curationem tandem aggredi oportet. Illa ſemper feliciſſime abſolvitur, cauſa proxima ſublata penitus, vel iis quæ ipſi contraria ſunt, extincta. Hac vero in profundo latente, unde haurienda ſunt ad cauſam vincendam idonea? Miſertus ſæpe ægrorum meorum, diriſſimo cum morbo luctantium, precibus, vociferationibusque opem ac medelam efflagitantium, quæcunque fere in animum incidebant, molitus ſum, ſpem, (quam ſæpe fruſtratam!) alens, inter multa incaſſum

ad-

adhibita, me quicquam reperturum, quod huic miſerorum hominum infeſtiſſimo hoſti, ceu ſpecificum cum fructu opponi poſſet. Quosvis, qui mihi ad manus fuerunt, pervolvi Auctores, ab antiquiſſimis ad recentiores imo recentiſſimos non tantum omnes. Quæ aliquam ſpecifici ſimulationem ferentia, vel ſpecioſo titulo commendata inveniebam, hilari animo arripiens, ſtatim inſtitui; eventu vero fruſtratus, omnem nonnunquam ſpem penitus projeci, morbum ut incurabilem, vel non niſi caſu fortuito ſanabilem existimans. Neque alios quibuscum verſatus fui Medicos, vel ad quos, propriam impotentiam ad vincendum morbum experientia edoctus, relegavi ægros meos, feliciores vidi. Quisque equidem, ex opinione præconcepta, morbum Bili, Scorbuto, Febri, aliisque originem debere ſupponens, ſua propinavit, vel nullo vel imperfecto admodum ſucceſſu; claro indicio, certam tutamque curativam methodum nemini perſpectam eſſe.

§. XIX.

In hujusmodi rerum anguſtiis, ut Medicum decet facere quæ poteſt, præſtiti ea, quæ tanquam optima uſu comprobata ſe commendabant. Ea ſemper fuerunt Empirica curatio.

Demulcentia & Opiata; quibus ſat magna copia exhibitis & aſſumtis Morbus ſæpe ſatis cito & feliciter ad ſperatum finem fuit perductus; ſæpe vero ne tantillum levatus, omnem anodynorum vel maxima copia exhibitorum potentiam eludens. Ægris quidem levamine gaudentibus hæc methodus perquam grata, mihi nunquam ſatisfaciens; utpote empiria tantum, nullo fundamento nixa, Morbo vincendo in compluribus impar, veram curationis indicationem aut regulam ſuggerebat nullam. Quare iſtam in nova curatione deſerens, quaquaverſum circumſpiciens aliam ſemper quæſivi, fruſtraneis licet conatibus; dum illa, experientia duce, ſola, vel nulla certa tutaque reſtitabat cognita hactenus: neque penitus ſpernenda, ut ſtatim patebit.

§. XX.

Curationis methodus cauſæ proximæ ſuperſtructa. Indicationes quatuor.

Curationis methodus, cauſæ proximæ in antecedentibus traditæ & ſtabilitæ ſuperſtructa, uſuque comprobata, quatuor Indicationibus abſolvitur. Expoſtulat,

1. Lenimen doloris, nulla habita ad cauſam ſpecialem ratione.

2. Cauſæ proximæ vel ablationem vel extinctionem.

3. Partium affectarum in integrum, quan-

quantum fieri poſſit, reſtitutionem.

4. Alvi interea temporis, difficillime in plerisque conſtipatæ, toto curationis decurſu, exſolutionem.

§. XXI.

Prima Indicatio Anodyna expoſcit.

Ad primum quod attinet (§. XX. 1.) ingens requiritur Anodynorum doſis, & continuanda diu: parca etenim vel non ſatis diu continuata, morbum quidem levat, imo quandoquidem vix levat, neutiquam ſubigit. Idem quod in dyſenterico morbo, a Principibus in arte noſtra viris fere omnibus adſertum ſæpiusque inculcatum legimus; in Dyſenteria nempe, præ aliis ullis morbis opiata liberaliori doſi ſecure exhiberi poſſe, fractis licet & pene attritis viribus; Dyſenteriæ curationem ſolo Laudani uſu ſæpe abſolvi, largiori tamen; gravioris Dyſenteriæ ſanationem ſine Opio aggredi non debere (*a*), & quæ ſimilia ſunt, in *Colica* noſtra obſervamus. Placidiſſima ſimul & diuturna quies, ut omnes Secretiones morboſe turbatas inſtaurat, ita & hanc de qua Inteſtinalis Muci integritas dependet,

(*a*) Videantur inſtar omnium *Sydenh.* Oper. pag. 189, 531, 602. *Ramazzin.* Oper. pag. m. 113, 114. *Trall.* Exam. rigoroſ. pag, 168.

det, reſtituit; & proin mirum quantum ad ſanationem confert. Quin hac ſola methodo morbum aliquoties integre ſublatum viderim. *Opium* crudum, vel quovis uſitato modo præparatum, dein & *Papaverina*, mane & ſero, per plures dies, juſta doſi propinata, id negotii abſolvunt.

§. XXII.

Secunda Indicatio Demulcentia requirit.

Secunda Indicatio (§. XX. 2.) talia requirit quæ cauſæ proximæ oppoſita, eam vel auferre vel emendare valent. Id præſtant ea quæ Muci folliculoſi defectum ſupplere, denudationes vel excoriationes Inteſtinorum Tunicæ intimæ artificiali quaſi glutine obducere, ſpasmodicas exinde ortas conſtrictiones relaxare, & ita ſenſilitatem minuere apta nata ſunt. Qualia ſunt quævis lubricantia, involventia, incraſſantia, emollientia; uno verbo demulcentia, lentore proprio Inteſtinorum lateribus ſe agglutinantia, neque facile a præterfluentibus ſemovenda. Hujusmodi ſunt,

1. Interna.

1. Interna, *Oleoſa*; ut *Oleum Amygdalarum* recenter preſſum, *Olivarum*, *Raparum*, *Lini*, vel ſola, vel cum Syrupo quovis permixta & edulcorata. Sequuntur Mucilaginoſa, ex gummoſis in

aqua

aqua ſolutis, ut eſt *Tragacantha*, vel *arabicum Gummi*; ex *Radicibus* emollientibus mucaginoſis extracta, *Althææ*, *Symphiti*, *Salab*, exoticæ radicis noſtris temporibus celebris, cum aqua vel vaccino Lacte præparata; ex Seminibus *Pſyllii*, *Cydoniorum*; & *Ichtiocolla*. Dein huc quoque referri merentur Farinoſa, Terrea pinguia friabilia, ut *Amyli* pulvis, *Salab* in pulverem contrita, ſemina *Cucumeris* aliorumque fructuum quæ frigida dicuntur, non rancida, pulverata; *Bolus armena*, *Terra lemnia* vel *ſigillata*, & ſimilis generis plura. Hæc larga ſatis copia, & diu ingerenda ſunt, quod maxima parte, Inteſtinorum contentis permiſta & hiſce mediantibus, periſtaltico motu vigente, deorſum, de loco ſaltem in locum continuo moveantur & depellantur.

2. Externa, inter quæ jure merito primum locum teneant, quæ Clysmatum forma in Inteſtina injiciuntur. Hæc, ſi oleoſa, vel mero oleo conſtantia, modica quantitate, ut facilius retineantur, ſæpius inſtituuntur, mirabilem ſæpe effectum edunt, imo ſanationem aliquando abſolvunt. Solis etenim Enematibus oleoſis, quibus quandoque Unguenta, majoris ſpiſſitudinis ergo admiſcui (Adipem anſerinum vel gallinaceum admiſceri vult 2. Externa.

Pau-

Paulus Ægineta (a)) singulis, alternis, quaternisve diebus repetitis, ægros curavi, quando alia cujuslibet generis medicamenta, interna æque ac externa irrita fuerant (*b*). Huc pertinent quoque Balnea vel naturalia vel artificialia, tepore humectante, Intestinis amico, constricturas relaxando, dolores emollientia læsasque partes blande demulcentia. Fomenta quoque ex lenientibus & demulcentibus composita; qualia sunt Decocta herbarum emollientium, cum aqua vel Lacte; quibus Sapo venetus, vel oleum quodcunque blandum non inutiliter admiscetur. Ex iisdem vel similibus Cataplasmata, farinosis quibusdam additis, in pultis spissioris formam redacta, constitui possunt. Præ omnibus autem Omentum recens mactati ovis, vel alterius animalis, ca-

(*a*) *Æginet.* Lib. III. cap. 43.

(*b*) Testis inter alios esse potest celebris inter nostrates Bibliopola I. T. bonarum literarum propagator; qui, annis jam aliquot præterlapsis, non sævissimos quidem, satis tamen acutos hujus *Colicæ* passus fuit Accessus. Incassum adhibitis omnibus a me, aliisque clarissimis, quos consuluerat Medicis, tandem meo suasu, hac methodo feliciter liberatus est. Iliacum affectum, a *Colica* nostra non multum abludentem, per decennium vexantem, Enemate ex solo Lini oleo, & panno laneo, oleo Lini imbuto, calide toti abdomini imposito, maxima parte sanatum legimus. Commerc. Literar. Nor. 1743. pag. 198.

calide abdomini applicatum, vel ſi friguerit, in Lacte calido denuo tepefactum, laudatur & experientia comprobatur. Catuli recenter nati, Ventri impoſiti, perpetuam, blandam, & æquabilem teporem, ægris gratiſſimum, adferunt; quorum uſus multum ſolatii adtulit quibusdam ægrotorum meorum, hacce *Colica*, anno MDCCXXVII ex Febre intermittente, quæ tunc temporis epidemice graſſabatur, nata, decumbentium. Immo & Oleorum inunctiones, nec non Epithemata ex ſpirituoſis & oleoſis ſtillatitiis aliquando profuiſſe reticeri non debet. Fomento ex vino rubro generoſo imminutum fuiſſe dolorem, obſervatio apud *Citeſium* (*a*) docet.

§. XXIII.

Tertiæ Indicationi (§. XX. 3.) ut ſatisfiat ipſum læſarum vel lædentium vitium corrigi & inſtaurari debet; hoc eſt, Muci inteſtinalis vel vitiata ſecretio, vel aquoſa nimis tenuitas, vel leviori quam decet cauſa abſceſſio reſtituendæ ſunt. Difficillimum hoc ſane opus eſt, eandemque ob cauſam difficillimus curatu morbus. Muci glutinoſi vitiata ſecretio quomodo per

Tertiæ Indicationi ut ſatisfiat ipſum partium vitium corrigi debet.

(*a*) *Citeſ.* de Dol. col. picton. pag. 233.

per medicamenta mutari directe poſſit, non video. In peculiares ſecretiones, a peculiari partium ſecernentium organica conſtitutione dependentes, ars vix quicquam valet. Generaliori methodo aliquid ad inſtigandum, motum vitalem nempe Medicamentis ſtimulantibus augendo, poſſumus, quatenus motu circulatorio per totum corpus accelerato, etiam in ſingulari parte & organo citatior reddatur. Secretionem autem hujus glutinis in morbo noſtro augeri debere minime certi ſumus. Ex antedictis licuit, *Colicam pictonicam* ſtimulantibus, calefacientibus, & proin motum in toto & in parte augentibus exacerbari. Imo vero in mucoſorum & ſebaceorum ſecretionibus tarditate potius quam acceleratione opus eſſe, ut debitam conſiſtentiam nanciſcantur ſecreta, docent theoretici hodierni, uno ore omnes; docet frequentisſimus Coryza morbus, ubi leviſſima, ex ſuſcepto frigore, & impedita univerſi corporis perſpiratione, in Narium membrana ſuborta Inflammatione, ſecretio materiæ mucoſæ acceleratur quidem ſed & tenuior effluit, agglutinationi & defenſioni, ut in ſtatu ſano, ineptus. Evidens itaque eſt ratio, calefacientia omnia *Colicæ* noſtræ adverſa eſſe; cauſam proximam augere, omniaque exinde oriunda ſymptomata incitare; quanquam

quam obſcuriſſima mihi olim aliisque viſa fuit. Secretioni Vitiatæ & majori quam decet humoris lubricantis tenuitati, ut & leviori de cauſa abraſioni ſimul proſpici poſſe mihi videtur talibus, quæ ſine calefaciendi ſtimulo, roborant & adſtringunt. Suadet hanc methodum horum Remediorum ſucceſſus in aliis mucoſæ materiæ tenuioris vel abraſæ vitiis, qualis Mulierum albus Fluor eſt, (ut ex celebratiſſimo *Helvetii* pulvere notiſſimum eſt,) Gonorrhœa non virulenta virorum, Muci ex veſica præternaturalis excretio, & quæ inde ſequitur Stranguria moleſta vel Veſicæ teneſmus (*a*), ſine fortioribus adſtringentibus nunquam vincendis; ne dicam de Dyſenteria, Teneſmo vel Apthtis, in quibus, Aphthis præcipue, a Veteribus fere omnibus adſtringentia ubique laudata inveniuntur. Suaſit tandem mihi horum uſum exoptatiſſimus in ipſa *Colica pictonica* eventus. Horum Remediorum magnus quidem numerus; præcipua intentioni ſatisfacientia ſunt: *Radix Tormentillæ*, -- *Pentaphylli*, *Cortex Caſcarillæ*, -- *Cinnamomi*, -- *Peruvianus*, *Millefolii* herba, -- *Plantaginis*, *Succus Catechu*, -- *Acaciæ*, *Sanguis Draconis*,

(*a*) Vid. Hiſtor. Stranguriæ, ad finem Tentaminis.

conis, *Alumen*, *Lapis Hæmatites*, *Crocus Martis*, ejusque *Vitriolum*, & quædam alia hiſce ſimilia; quorum quæ majori præ aliis adſtringente virtute pollent, Ventriculo & Inteſtinis amica ſunt, ut *Cortex Caſcarillæ -- Peruvianus*, *Cinnamomi Cortex*, aromatica virtute cum adſtringente juncta nunquam officiens, & *Succus Catechu*, aliis præferenda, ſaltem immiſcenda; ſpecialius quæ aqua ſolvi, aut quorum virtutes aqua extrahi poſſunt, eligenda ſunt. Quæ ſtyptica dicuntur adjumenti loco aliis addenda, rarius per ſe & ſola exhibenda. Omnia hæc, vel ejusmodi ſingula & ſeorſum, vel invicem combinata, & in diverſas formulas Decocti, Infuſi, Pulveris, Tincturæ, redacta, prout vel Medico libuerit vel ægri palato acceptum fuerit, exhiberi poſſunt: imo, eadem, in formam Clyſmatis redacta, quando labem in Inteſtinis craſſis hærere, aliqua ſuſpicio eſt, cum fructu injiciuntur. Sine his levatio morbi duabus prioribus Indicationibus (§. XXI. & XXII.) impetrata raro tuta fidaque eſt; hiſce ſolis aliquando curatio integre abſolvitur, absque ullo aliorum ex traditis jam Indicationibus præſidio. Siquidem haud raro vidi Morbum Anodynis & Demulcentibus, ſeorſum & per ſe, vel combinatis, ſat magna copia, & ſatis diu

as-

assumtis vinci non potuisse: in quibus casibus, omni spe sanationis impetrandæ abjecta, roborantibus fortioribus non calidis, ut Intestinorum tonus relaxatus emendaretur, adhibitis, invincibilem, ut videbatur, hostem profligari feliciter. Quare hæc methodus sæpius a me tentata deinceps, mihi maxime commendabilis fuit; eoque felicior, quo Medicamentorum adstrictoria potentia major, eorumque propinatio liberalior diuturniorque (*a*).

§. XXIV.

Quarta Indicatio Alvum relaxantibus absolvitur.

Tandem ad constipatam Alvum, molestissimum Morbi symptoma relaxandam aliquam operam impendere necessario requiritur. Ad hanc Indicationem serius accessimus, quia Doloris lenimen maximam exposcit festinationem: purgationem enim præsente dolore instituere non licet, *Ci-*

(*a*) Sic ratio reddi posse videtur *Colicæ* pertinacissimæ, Enemate ex Oxycrato frigido subito curatæ, (adstrictoria nempe hujus Clysmatis potentia) *Chesnauo* inexplicabilis. *Chesnau* Observat. med. pag. m. 510. Immo intelligitur in Colica ex Pituita vitrea, commodissime per os exhiberi olei vitrioli guttas aliquot, cum haustulo generosi vini mixtas; *Joël.* Oper. pag. m. 342. Malorum citreorum succo Cardialgiam biliosam dictam percurari, & ejusmodi plura;

Citesio jam monente (*a*). Sæviente dolore difficile adsumi purgans potest, quin vomitu rejiciatur protinus; Clysma præ continuo reptatu, perpetuisque fere corporis circumvolutionibus æger vix admittit. Dolore vero vel minimum sedato, vel inducias quasdam faciente, huic indicationi sæpius repetendæ invigilare oportet. Clysmata blanda, non multum stimulantia, in hunc finem, præ internis relaxantibus, eligenda veniunt; quæ si ex oleosis, inter interna Demulcentia æque ac externa (§. XXII. 1. 2.) jam enumeratis composita fuerint, duplex intentio una pariter obtinetur. Oleosa enim, præterquam quod vias lubricent; scybala dura, oleosis optime maceranda, resolvant; etiam spasmodicas constrictiones relaxant. Hæc si votis non respondeant, vel ægri à Clysmatibus abhorreant, laxativa blanda per os propinare licet. Mitiora semper eligenda sunt; vehementiora stimulanti potentia dolores augendo, quod spasmo clausum est, in strictiorem constipationem incitant. Quæ ex eduliis desumuntur nisi ægro ingrata, vel nausea, ab ingestis facile excitanda assumtionem molestam faciat, optima sæpe sunt. Magna copia prunorum recentium comestorum, quos-

Clysmatibus.

Internis Relaxantibus.

(*a*) *Citef.* pag. 221.

quosdam recte solutos fuisse, cum antea multis, etiam vehementibus purgantibus, solvi non potuissent; Uvarum recentium larga comestione, Alvum solutam, quæ prius multis adhibitis Remediis expediri ab obstructione non poterat; exempla prostant apud SCHENKIUM (*a*); & frequenter observantur. Ex Medicamentis *Tamarindorum* vel *Cassiæ pulpa*; inprimis autem *Rhabarbarum* seligendum est, quod adstringenti virtute; in Dysenterico morbo & *Colica* nostra, Intestinis amicum, Alvum cum facilitate solvit; præsertim si Infusionis forma satis diluta, parca dosi, & sæpius repetita, sumenda detur. Neque *Senæ* folia spernenda sunt; utpote frigide per duodecim horas infusa, vel & leviter decocta, Ventri cum lenitate solvendo apta. Optime tamen eventus respondet, (quod ut a doctissimo *Huxhamo* (*b*), ita ab aliis bene multis jam observatum,) quando Anodyna, quorum usus non facile est interrumpendus, cum hisce combinentur: sopito dolore, faciles & largæ utplurimum dejectiones sequuntur.

Notandum insuper, quæ ad singulas Indicationes (§. XXI. XXII. XXIII.) pro-

(*a*) *Schenck*. Observ. pag. 364.
(*b*) *Huxham* de Morbo colico. pag. 29.

propoſita ſunt, non ſeorſum ſemper & ſola adhibenda, ſed majori cum fructu combinanda ſæpe eſſe. Anodyna cum Demulcentibus & involventibus; hæc iterum, vel ſingula vel combinata, cum roborantibus & adſtringentibus conjungi poſſunt, vel debent; prout morbi natura, vel ſymptomatum maxime infeſtantium neceſſitas expoſtulare videantur. Alvum Relaxantia omnibus interponenda ſunt.

§. XXV.

De Venæ ſectionibus aliisque curationis Indicationibus judicium.

De Venæſectione, Veſicantibus, Fonticulis, Cucurbitulis, Vomitoriis, Purgationibus fortioribus, quæ ut optima ad *Colicam* noſtram eradicandam a multis laudantur, nullam hactenus injeci mentionem. Etenim non eſt mihi animus aliorum effata refutandi; mea ſolum, quæ vel meditatione, vel obſervatione, addidiciſſe credo, eruditorum examini ſubmittendi; quamobrem iis, quæ ad propoſitum morbi curativum vel parum vel nihil contribuere mihi videntur, non inhæſi, neque inhærebo deinceps. Paucis tamen ſententiam meam aperire volui, quatenus prædictæ medicationes ad ſanandam *Colicam* quicquam valeant, vel abjiciendæ ſint penitus. Venæ ſectionem interdum ægrotis levamen attuliſſe nega-

De Venæ ſectione.

ri

ri non poſſe videtur. Eam tamen raro Morbo noſtro utilem credo; nec niſi in iis caſibus, quibus Inteſtinorum excoriationi, & dolorificæ inde ortæ ſenſationi Inflammatio ſupervenerit; quod poſſe quidem contingere indubium, ſæpe contingere, credibile admodum eſt. Dein quando Inflammatio in Inteſtinis oborta, Morbi cauſam antecedentem conſtituerit; cum in primo ſtatim initio Venæ ſectio celebranda, & omni alio Remedio præmittenda eſt; inprimis ſi ſubjecta fuerint plethorica: non quidem propter morbum, ſed vel morbi Symptoma, vel cauſam antegreſſam. Hiſce vel iis multum ſimilibus caſibus exceptis, a Venæ ſectione, in *Colica pictonica* vix ullam utilitatem me vidiſſe memini; neque, ex hypotheſi noſtra, morbo jam confirmato, prævideri poſſe puto. De Veſicantibus, Fonticulis & Cucurbitulis idem eſto judicium. In leviſſima jamjam orta Inflammatione, Derivationis loco non omnino rejicienda; vel & quando a morbo cutaneo, vel Podagra introverſa *Colicæ* origo deducenda videtur: illis ſolis morbum ceſſaſſe nunquam ſum expertus. De inuſtione plantæ pedis aliorumve locorum candente ferro, vel accenſæ Moxæ ope, Aſiaticis gentibus in frequenti uſu, propriis experimentis nihil affirmare neque

De Veſicantibus, Fonticulis & Cucurbitulis.

De Uſtione ferro & Moxa.

negare possum; ad nostram vero *Colicam* profuturam nullo ratiocinio adducor: experimenta de Ulcusculo vel pustula in pede exortis, de quibus jam ante (§. XVII.) facta fuit mentio, nimis parca & rara sunt, quam quod ejusmodi medicationis methodus iis, fundamenti loco superstrui possit. Emetica vel Purgantia drastica raro in usum venire posse, ex antedictis facile perspicitur: malum augere & exasperare potius, Mucum lubricantem defectu peccantem magis deglubendo; quam minuere apta nata videntur. Unicus tamen vel alter Casus jure merito excipiendus; quando nimirum veneni vel venenati alicujus ingesti, & in Ventriculo vel Intestinis adhuc morantis, facileque exinde Vomitorio, vel forti Purgatorio eliminandi suspicio est: quod & ad aliam materiam qualemcunque, Intestinis inimicam, Morboque colico ansam præbituram, vel nato jam pabulum addituram, extendi posse, non diffitebor; Morbo autem consummato non prodesse, certissime mihi persuasus videor.

De Emeticis & Purgantibus.

§. XXVI.

Diæta.

Diæta Morbo, viribusque Digestionis fractis accommodanda est. Eupepta, demulcentia & simul nutrientia optima sunt: ut

ut farinosa quævis ex Lacte cocta; Ova sorbilia; juscula gelatinosa ex carnibus ovillis, vervecinis; gallinaceis, quæ ob majorem glutinositatem, & nutriendi potentiam aliis præferenda. Carnes ipsæ, aliave durioris generis alimenta, in statu morbi interdicenda sunt. Morbo allevato, vel ad finem inclinante, alia concedere licet. Olerum usus frequens & diuturnus maxime proficuus, carnium paucus. Potus omnium optimus videtur Aqua spadana, vel alia quæcunque fontis medicati; vel sola, aut cum Lacte vel Vini modica quantitate mixta. Hujuscemodi aquas non tantum ad Sitim extinguendam, & sensiles internas partes cum blanditie humectandas; sed & ad dolores leniendos, morbumque solvendum insigni virtute pollere *(a)* observamus.

§. XXVII.

De Symptomatibus nervosis medendis.

Ad Convulsiones & Paralysin quod attinet; si Doloris sævities cito refrenari potuerit, utplurimum præveniuntur. Si supervenerint, nihil peculiare expostulant; consuetis adhibitis remediis superabiles sunt. Membrorum resolutio, Morbo sublato, utplurimum, lento tamen gradu,

(*a*) *Citeſ.* de Dolore col. pag. 216, 224.

du, cedit; ſed & recidivante Morbo, haud infrequenter redit. Quod de Convulſionibus itidem, raro poſt levatos dolores ſubſiſtentibus, intelligendum eſt. Cœcitas, Aphonia, aliave nervorum vitia, Convulſionibus & Paralyſi rariora, non diu perſiſtunt; neque Remediis, (niſi propter famam, ut Medicorum proverbium eſt) opus habere videntur.

§. XXVIII.

A Recidivis conſervatio difficilis.

UTINAM ægros, præcedenti methodo a Morbo liberatos, ab ejusdem Recidivæ aſſultibus conſervare arte noſtra, poſſemus! Id difficile fieri quisque concedet, qui cauſæ proximæ, in præcedentibus aſſertæ, cauſam proegumenam obſcuriſſimam eſſe perpenderit; cujus tamen poſterioris exacta requiritur cognitio, ut præveniatur prior. Hanc, quia lente & clanculum agit, parteſque afficit a conſpectu remotas & abſconditas, indagare quis poterit? Nec alii a Muci folliculoſi vitio morbi omnes æque perſpecti ſunt. Narium epithelium ex tenuitate Pituitæ mucoſæ defendentis ſenſile & dolens reddi, a ſuſcepta ex frigore Gravedine, quotidie experimur. Labiorum, Oris Fauciumque internam ſuperficiem, aphthoſo morbo denudatam vel eroſam, dolorem pa-

ti

ti videmus ex morbo quodam antegresso, Aphthas producente: sed quam sæpe sine manifesta causa appareant Aphthæ, illi norunt, qui in medicina faciunda Infantibus, senio fractis, vel chronico morbo debilitatis præsunt. Cuticulæ externæ a Cute separationem, ejusque excoriationem ab externis causis productam, oculis nostris observare, & proin prævenire possumus; ejusdem vero excoriationes spontaneas ab interna causa, haudquaquam perspecta nasci, morborum cutaneorum unanimi Medicorum consensu difficilis curatio, & contra renascentiam præmunitio luculenter ostendit. At, quam multiplex causa in Intestina agere possit, ex Ingestorum, cum esculentorum tum potulentorum multiplici & diverso genere, nemo non protinus animadvertit. Lubricantem mucum, vel solito tenuiorem reddi, vel minus debita quantitate secerni, vel ab Intestinorum interiori tunica denique deglubi posse, in Intestinis ipsis hærente causa, vel aliunde delata, dubitari non potest; singulas autem harum conditionum *Colicæ* recidivam inferre posse, & revera inferre, non minus certum est. Quæ omnia si bene perpendantur, generalis Regulæ, vel Medicamenti specifici ad Morbi recidivam avertendam inventio

ſperari vix, ac ne vix quidem poteſt. Ex nocentibus forte & juvantibus, obſervatione ſedula vel ægrotantium, vel Medicorum ipſis opitulantium detectis, canones quidam, Regiminis loco, tam vitandorum quam præſtandorum, tradi poſſunt.

De Vitandis.

Frigus majus, quam in ſtatu ſano corpori tolerabile, ad Inteſtina admiſſum, ejusmodi conditionem efficere valet, quæ omnibus, brevi poſt, miſerrimis cruciatibus anſam præbet. Narratum memini ab ægris, hoc Morbo ſæpius correptis, ex pedum frigore neglecto, ſubitiſſime ſe recidivantis *Colicæ* primordia ſenſiſſe. Frigus itaque Morbo inimicum, quam maxime vitandum; Pedes a frigore caute conſervandi, panniculis vel ſpleniis, hyeme præſertim obvolvendi; Venter laneo panno, vel lineo multiplici, aut etiam charta papyracea, ut vult *Citeſius* (*a*), muniendus. Corporis exercitia ſolito majora vitanda ſunt: vehementem etenim & laborioſam exercitationem, cælo præſertim æſtuoſo, *Colicam* recidivantem vidit Citeſius (*b*), vidi & ego ipſe. Animi pathemata ſummopere compeſcenda, inpri-

(*a*) *Citeſ.* pag. 205.
(*b*) *Citeſ.* pag. 209.

primis vehemens iracundia; ex qua, non moderata lethalem Recidivam interdum observavi.

Hæc de vitandis; quæ præstanda sunt, ad pauca quædam capita referri possunt. De Faciendis.

Alvus præsertim aperta servanda est, cibis humectantibus, aliisque lubricitatem Intestinorum procurantibus; vel & lenissimis Laxantibus aliquando assumtis. Vomitoriis intermedio tempore exhibitis, vel Purgationibus mercurialibus Recidivam præcaveri nunquam vidi. Lac asininum recens ab ubere mulctum, contra dolores præsentes non minus, quam levatorum metuendas Recidivas magnis laudibus extollitur. Omnium autem instar Aquarum medicatarum diuturnus usus, doloribus vincendis, & in futurum præveniendis, inservire videtur (*a*). Quibus ad-

(*a*) De Colica ex biliosis humoribus agens *Alexander Trallianus* sequentia annotavit: Frigida aqua usus sum, in quibus vires robustas, & principales partes illæsas deprehendi. Ac scio, levasse me omnino dolorem, & totum morbum, ne amplius reverteretur, prohibuisse; idque quum æger antea crebris accessionibus corriperetur. Lib. X. cap. 1. De gravissimis doloribus Intestinorum, in Paralysin desinentibus, fomento ex linteaminibus triplicatis, frigidissima aqua madefactis, & Ventri appositis, sedatis, observatio ex *Cratone* prostat apud *Schenckium*. Obs. pag. 363.

addere debeo, diutinam roborantium & adſtringentium Medicamentorum, ad Curationem antea (§. XXIII.) præſcriptorum continuationem, æquali, non dicam majori certitudine, Inteſtinorum robore in integrum reſtituto, ab horrendis *Colicæ* Recidivis præſervare.

§. XXIX.

De *Cardialgia feroci.*

Cardialgiæ quoddam genus eſt, noſtratibus familiare admodum, quod tribus, ut ajunt verbis, hic pertractari meretur. Aſperrimo dolore infeſtat, ab asſumtis eſculentis imo & potulentis perpetuo exacerbata; ut præ metu doloris invaſuri, a cibis non tantum omnibus abſtineant; appetitu ſatis vigente. Ingeſta ſolida, nonnunquam etiam fluida Nauſeam excitant, quam ſequuntur vomiturítiones pituitoſæ materiæ, aliquando aquoſæ; eſculentis intus reſtitantibus. Flatuum & fœcum alvinarum deorſum eructatio vel excretio pertinaciter intercipitur. Dolor per intervalla quidem mitior, mox recrudeſcens, longus eſt; ægros, diuturnis cruciatibus & tolerata inedia, penitus exhauſtos & macie conſumtos reddit. Invadit hæc omnis quidem ætatis ac ſexus homines, inprimis virgines, mulie-

lieres, imbecilles; minus viros robustos. Stomachicis calefacientibus curata exasperatur; vomitoriis vel purgantibus fortioribus levatur quandoque; ast brevi dein eodem furore redit. Ab arduis laboribus exacerbescit; & brumali tempore magis quam æstivo renovatur. Quandoque in Paralysin terminatur; & sanata licet, recidivat.

§. XXX.

Colicæ pictonicæ similis.

Videtur hicce Ventriculi morbus in multis *Colicæ pictonicæ* quam simillimus, loco affecto solo forte differens. Affirmare tamen minime volo Ventriculum, in hacce dicta *Cardialgia*, affectam partem semper constituere. Doloris sævitiem, ejusque curationem difficillimam, symptomata fere omnia cum *Colica* communia habet; immo & in *Colicam* lethalem eum aliquando transiisse vidi. Idcirco ex simili causa proxima, causa antecedente obscura manente, originem habere vix dubitandi locus superest. Ventriculi erosionem, proin & membranæ intimæ antea denudationem, Muco abraso, vel excoriationem antea (§. X.) observationibus demonstratam dedimus. De Pituita largiter per alvum ejecta, ab ægro mordica-

catione Ventriculi affecto, morbo tamen non ſublato, & poſtea difficile tollendo *Galenus* monet (*a*). A diutino, ob Alvi naturalem tarditatem Pilularum aloëticarum uſu, *Cardialgiam*, abraſo, procul dubio, acri & inimico ſtimulo, Ventriculi Muco, vel etiam excoriata forte interiori tunica, exortam vidi.

§. XXXI.

Iisdem Remediis ac *Colica* curanda.

Iisdem hic Morbus ac ipſa *Colica* Remediis & cautionibus curari & præveniri debet. Ego quicquid conatus fuerim, eum non, niſi hac ſola methodo, vix unquam ad ſanationem integram perducere potui; exhibitis autem, quæ antea deſcripta ſunt, inprimis adſtringentibus & ſine calido ſtimulo roborantibus, ſat larga copia, ſat longo tempore feliciter perduxi (*b*); ſine anodynis aliquando vel demulcentibus ullis. Licet, quod diffitendum minime eſt, omnibus quandoque Medicamentis, ut *Colica* pertinaciſſima, reſiſtit non tantum,

(*a*) De Alimentor. facultat. Lib. I. cap. 1.

(*b*) Elixir Vitrioli *Mynſichti* multis laudibus ad roborandum Stomachum commemoratum proſtat. Alumine ſolo, in debita aquæ copia ſoluto *Cardialgiam* pertinaciſſimam ſublatam vidi.

tum, ſed exaſperatur; eroſione, ut veroſimile eſt, in ulcus inſanabile, imo lethale, mutato. Omnia itaque quæ de Colica dicta fuerunt hactenus, ad hunc morbum quoque applicanda ſunt; quibus repetendis immorari opus non erit.

CORONIDIS tandem loco adjicere lubet caſum unum alterumque, antea cum Academia Naturæ Curioſorum communicatum; de quibus, ne pertractationis ordo interrumperetur, uno verbo facta fuit mentio, (§. VII. 9. XIV.) & quorum ulteriorem enarrationem Lectori non omnino diſpliciturам ſperavi.

Hiſtoria Colicæ habitualis & dyſentericæ, Corticis Simaroubæ ope, feliciſſime curatæ.

Duodecimo Septembris die Anni MDCCXLII accerſitus fui ad Virum triginta circiter annorum, natione Anglum, ex illuſtri familia natum, dolore Ventris acerbiſſimo decumbentem. Colicum dolorem, qualem nunc patiebatur, ipſi a primis infantiæ fere annis, familiarem fuiſſe naravit, vix medicamentis cedentem, ſubinde tamen pro tempore ſedatum. Peregrinatus jam fuerat a primo Vere anni ſupra nominati, fere ad hoc usque tem-

tempus; ex Anglia *Amſtelodamum*, *Amſtelodamo* profectus magnam partem Germaniæ peragraverat, exinde denuo *Amſtelodamum* reverſus. Varias non tantum corporis defatigationes, ſed & aëris inclementis præcipue injurias perpeſſus fuit; adeo quidem, ut curru vectus, per triginta præter propter dies noctesque, perpetuis fere pluviis & imbribus fuerit expoſitus; imo & terra marique innumeras corporis vexationes tulerit. Toto interim hujus peregrinationis tempore, dolorem colicum, majori nunc, minori alio tempore cum ferocia ſævientem ſecum traxit; ad quem ſuperandum, ipſi, invito licet, *Pragæ*, multum ſanguinis, ex utroque pede fuit detractum: quo valde debilitatus, non niſi ſumma cum moleſtia, *Berolinum* profectus fuit. Hic vero per tres circiter hebdomadas, propter intenſiſſimum dolorem, detentus fuit, nullis, vel optimis Medicamentis a præclariſſimo Dn. D. LIEBERKUHN exhibitis, levatum. *Bremæ* denuo præ dolore decubuit, & in maximum vitæ periculum fuit conjectus. Juſſu Medici, ægro contrarium ſuadente, experientia edocto, de novo larga fuit inſtituta Venæ ſectio, nullo quidem levamine, & magna virium jactura; quin & calidiſſimis inſimul exhibitis Remediis, do-

dolor magis fuerit exacerbatus. Benignitate naturæ tandem utcunque levatus, *Amſtelodamum* rediit, ubi dolor immaniter rurſum increvit, ut ſtatim dictum. Alvus ipſi & liquida nunc erat & torminoſa.

Præſcripſi in hoc rerum ſtatu Decoctum lenitivum, quod ingrediebantur *Chamæmeli flores* & *Rheum*, addita Syrupi Diacodii modica doſi. Dolor ſequenti die fuit paulo mitior, alvi egeſtiones magis compactæ, Somnus autem per totam noctem omnino nullus. Præſcripſi denuo ſimile Decoctum ſine *Rheo.* Nox quæ ſequebatur, Somnum quatuor vel quinque horarum conceſſit. Dolor multum fuit imminutus, alvi Dejectiones & minores & compactiores, inſequente vero mane denuo frequentiores & liquidiores.

Decimo quinto Septembris, noctem transegerat inſomnem. Dolor matutino tempore valde fuit exaſperatus. Feces Decocto adſumto fere ſimiles, cum pauxillo ſanguinis permixtæ. Appetitus vigebat. Exhibui Conditum roborans & demulcens; quod licet aſſumſerit, vix ullum levamen attulit. Morbi longitudinem conſiderans æger, in patriam redire voluit; neque diſſuaſi iter, morbi Curatio-

nem cum ipſo ægro deſperans. Circa veſperam dolor vehementiſſime ſæviit; alvi Dejectiones erant, ut ante, eædem, & cruentæ. Indicavit mihi, in Anglia ſibi quandoque exhibitas fuiſſe quinquaginta guttulas Laudani liquidi *Sydenhami*, optimo cum ſucceſſu. Præſcripſi idcirco hauſtulum cum ſimili quantitate celebris hujus Tincturæ anodynæ, duabus vicibus adſumendum; quo exhauſto, ſatis commode noctem transegit, parum tamen dormivit. Alvum non depoſuit, niſi proximo mane. Dolor valde fuit imminutus.

XVII°. Septembris, vix dormivit. Dolor non quidem vehemens, Dejectiones tamen fere erant perpetuæ. Laudani liquidi *Sydenhami* copiam ſufficientem a me petiit, ut in itinere, patriam verſus, urgente neceſſitate, legitimam doſin haurire poſſet. Valedixit mihi, jam profecturus. Poſt meridiem vero denuo miſit ad me, præſcriberem Enema quoddam adſtringens, ut alvi Fluxus, pro tempore ſaltem cohiberetur; dubius an ſtatus ejus ſuſcipiendo itineri aptus foret. Exhibui Clyſma, cum duobus *Opii* crudi granis; quod per tres quatuorve horas quidem retinuit, poſtea tamen, eodem, ut antea, modo dejecit: neque proficiſci præ do-

dolore, & continuis alvi Egestionibus potuit. Circa vesperam & mane sequenti febricitabat, & leviter delirare videbatur. Præscripsi Conditum roborans addito *cortice Peruviano*; & Epithema Ventri applicandum, ex *Spiritu Vini* & *Theriaca* compositum. Vespertino tempore dormibundus erat & delirans; dolor quidem non major; Feces copiosæ, fuscæ & sanguinolentæ. Enema valde adstringens injici curavi; quod per tres quatuorve quidem horas retinuit; postea vero, singulis iterum horis & semihoriis alvo obsequi coactus fuit.

In quibus rerum angustiis, cum non nisi certa mors expectanda videbatur, periculum facere volui, an *Simaroubæ* cortex, ante aliquot annos, postquam a Celeb. D. JUSSIEU, in Academiæ parisinæ monumentis descriptus fuerat, a me, primum, quantum novi, in nostra Regione in usum introductus, & in fluxionibus cruentis sæpissime, cum fructu exhibitus, aliquid efficeret ad sistendas alvi Fluxiones sanguine permixtas. Præscripsi Corticis hujus drachmam unam, in pulvisculos sex dividendam, quorum omni bihorio unum adsumsit.

XIX°. Pomeridiano tempore obdormi-

re incepit; totamque fere ſequentem noctem placide transegit.

XX°. Melius ſe habet. Feces mucoſæ, albicantes, nullo fere ſanguine permiſtæ, carunculas quaſi continentes dejiciuntur. Dolor non magnus; Febris vix ulla. Vocatus nunc fuit in conſilium Collega meus doctiſſimus D. P. van Leend, qui uſui Corticis continuando aſſenſum dedit. Pro potu exhibita fuit panatella, cui ingens Cinnamomi quantitas fuit adjecta. Circa Veſperam aliquoties iterum dejecit; feces autem naturalibus magis ſimiles. Ultima, quam habuerat, hoc tempore dejectio valde torminoſa fuit; quapropter Clyſma ſedativum denuo fuit injectum.

XXI°. Ejusdem Septembris. Nox placida fuit. Bis tantum, & parum dejecit. Nauſeabundus nunc utcunque, quod & in aliis ab uſu corticis *Simaroubæ* frequenter obſervatur. Veſperi ſatis bene ſe habuit, vix dejecit; dolorem ſentit vix ullum. Perſtitit in uſu Pulverum corticis *Simaroubæ*.

Die vigeſimo ſecundo, alvi Egeſtiones perpetuo imminutæ, feces compactæ; dolor nullus; Appetitus viget, & vires revertuntur.

XXVI.

XXVI°. In meliorem ſtatum redire continuo pergit; & ſanitatis integræ brevi recuperandæ ſpes magna affulſit. Conquerebatur de dolore circa exteriores ani partes, poſt dejectionum conatus, præcipue infeſtante; qui ab hæmorrhoidibus externis aut leviori partium excoriatione, ut videbatur, ortus, emolliente Linimento facile ſuperatus fuit. Sicque bene valens in patriam diſceſſit; in quam feliciter & bene conſtitutum ſe adveniſſe, literis ad me datis ſignificavit non tantum, ſed & poſtea in Hollandiam redux, lætus nunciavit ipſe, vegetus toroſuſque.

Morbus hicce, cui & alios ſimiles plures vidi, Specifico antidyſenterico tandem curatus, raris tamen dejectionibus cruentis ſtipatus, an ad Colicam vel Dyſenteriam referri mereatur, dubius hæſitavi & adhuc hæſito; quamobrem Colicam dyſentericam eum dixi.

Hiſtoria Stranguriæ vel Teneſmi veſicæ, per viginti & ultra annos moleſtisſimæ, ſubitiſſime curatæ.

Præclarus Vir 50 annos natus, a vigeſimo & ſexto ætatis ſuæ anno Stranguria moleſtiſſima vexatus fuit. Totalem quandoque per aliquot horas patitur Lotii ſup-

preſſionem, cum perpetuis ad mingendum incitationibus, & cruciatibus omnem fere patientiam & longanimitatem ſuperantibus; ut vigeſies, vel ultra, naturæ conatibus, fruſtraneis licet, quandoque obedire, unica hora coactus ſit; donec tandem magna cum vi Muci pituitoſi copia quadam ex Urethra prorumpente, urinæ portio in Veſica contenta, ſecuta fuerit. Brevi poſt, quandoque citius, quandoque tardius, ſuppreſſio redit, iisdem cum moleſtiis, minoribus nunc, alio tempore majoribus. Mucus, qui cum urina excernebatur in varia fragmenta vel ramenta diviſus, phlegmatibus craſſis ex naribus excuſſis, vel exſcreando ex aſpera Arteria ejectis ſimillimus erat; alio tempore tenaciter cohærens, ad fundum matulæ in urina ſubſidens, & pelliculam repræſentans, totum ejus fundum obtegit, & effuſa urina agglutinatus hæret; ejus nimirum indolis quam Pituitam vitream dixere veteres. Nonnunquam & ſtriæ ſanguineæ ipſi erant permixtæ; imo & merus ſanguis haud raro poſt exonerationem Muci cum Urina, vel & poſt eam, ſolus exiit. Mucus iſte ſæpiſſime Urinæ jamjam ejectæ intime erat permiſtus & liquidus liquorem cum ea homogeneum, non niſi minori pelluciditate,

vel

vel leviuſcula turbulentia a naturali differentem conſtituens, & calida exiſtente Urina, in eodem ſtatu perſiſtens; perfrigerata autem eadem ſubſidebat modo ſtatim explicato. Quod in aliis ægris eodem affectu laborantibus frequentiſſime obſervatur. Urina fœtida valde, eoque magis quo minus libere evacuari ab ægro poterat. Miſerrimis hiſce doloribus & perpetuo redeuntibus cruciatibus, per tot annorum ſeriem toleratis, nobilis Vir debilitatus & emaciatus penitus vitam traxit tœdioſiſſimam.

Morbus, id referente ægro, initium ſumſit a ſuppreſſione urinæ ſubitanea, poſt largiorem vini rubri potum. Suppreſſio tunc temporis quidem ſublata fuit, Cataplasmate ex *Cærefolio*, ſupra Regionem Pubis applicato, donec Urina guttatim efflueret; ſuppreſſione tamen, ut antea redeunte; tertio quartove die, etiam ut ante denuo ſublata; tandemque Muci exitu accedente in morbum chronicum ſtatim deſcriptum abiit.

Conſuluit æger præſtantiſſimos in noſtra Regione Medicos fere omnes; qui varia quidem propoſuerunt vel exhibuerunt Medicamenta, ex quibus omnibus ſperatum effectum ſenſit nullum. Lenientia & Involventia quæ præſcribebantur,

 opti-

optimum; pellentia & Diuretica pessimum ediderunt effectum. Tandem, Augusto mense Anni MDCCXLVI ad me quoque pervenit, consilium flagitans, versus dirissimum hunc vitæ suæ & incolumitatis hostem. Me autem Remedia ad morbum vincendum nescire; neque hactenus arte nostra detecta, saltem in publicum indicata esse, palam sum professus. In solatium tamen ægri, & ne nihil agere velle viderer, Demulcentia quædam mucilaginosa, & partes solidas roborantia propinavi; aliquali, in principio, ut videbatur, cum levamine: morbo nihilominus manente eodem. Sæpius, dein ab ægro instigatus, ut si quid possem, ipsi præstarem auxilii, in eas meditando incidi cogitationes, num forsitan Adstringentibus fortioribus id effici posset ne Mucus, Vesicæ amicus & naturalis; cujus perpetua abscessio, omnium symptomatum causa, morbum immedicabilem reddebat, a Vesica, ductuque urinario demitteretur: quo in Vesica permanente, eamque ab irritatione urinæ defendente, morbo solamen vel finem imponi posse credidi. Præscripsi itaque Elixir quoddam vitriolicum extemporaneum, ex *Tinctura corticis Peruviani*, *Tinctura corticis Cinnamomi*, & *Vi-*

trioli

trioli ſpiritu compoſitum, quod guttatim cum pauxillo Aquæ pluvialis, vehiculi loco, ſæpius de die aſſumendum dedi. Mirum, quod toties, quoties interrogatus æger affirmavit, ſecundo poſt aſſumtum hoc Medicamentum die, parum admodum pituitoſi Muci cum urina excrevit; exitusque fuit facilis; dolores & cruciatus ſoliti inter mingendum valde imminuti; neque poſthac Mucus, ea ut ante copia ſeceſſit unquam. Perſtitit æger, me conſulente, in uſu Medicamenti conſtantia ſingulari & raro a Medicis viſa, per integrum, & quod excedit annum, morbo fere penitus evaneſcente. Leviores nonnunquam inter mingendum habuit moleſtias, brevi ceſſantes. Strictiori inſimul Diætæ a me addictus fuit; abſtinentiæ a Vino, omnibusque urinam ſtimulantibus & diureticis, exercitiis validis, vectione ſuper ſtrata viarum, curſu vehementiori & ſimilibus; quam dum ſemel iterumque transgredi cœpiſſet, malum Recidivam molitur; quiete tamen, abſtinentia, & uſu prædicti Medicamenti, vel ejus loco *Tincturæ Succi Catechu*, cum *Tinctura Corticis Peruviani* combinatæ, brevi ſedatum, ægro perfecta frui ſanitate conceſſit.

Varia quidem, nec inutilia credo, confectaria, ex hacce morbi hiſtoria alibi deduxi, ad finem, mihi in pertractatione *Colicæ* propoſitum non pertinentia; quare iis recenſendis operam nullam impendo.

FINIS.



DE

DE

NATURA, SEDE ET ORIGINE

HYDATIDUM

DISQUISITIO.

Obscura quædam esse --- nec tamen ab illis ita dicuntur de industria: Sed inest in rebus ipsis obscuritas.

CICERO.



DE NATURA, SEDE ET ORIGINE HYDATIDUM DISQUISITIO.



PARS PRIMA.

§. I.



HYDATIS (Ὑδατὶς) non omni tempore, apud medicos scriptores, eundem corporis affectum significat. Veterum plurimi per eam intellexerunt *Incrementum pinguedinis superiori Palpebræ substratæ*, ut ex *Gorræi* Definitionibus & *Foesii* Oeconomia *Hippocrat.* videre est. Vel, secundum aliorum ampliorem descriptionem, est *Tumor mollis & laxus, Palpebram, quam obsidet, œdematosam reddens.* Hodie, latiori sensu, usu recepto, denotat *Vesiculam seu ampullulam membranaceam, humore limpido aquoso, vel tenaciori glutinoso aliove*

Hydatidis Definitio.

liove repletam, ubicunque in corpore reperiatur; ſive parti cuidam vel viſceri connexam, vel in cavo quodam, ab omni alia parte liberam ſecluſam. Hac ſignificatione, de *Hydatidum* natura verba facturus, vocem intelligi volo; neque aliam deſcriptionem dicendis præmittam; cum ex ipſa quæ ſequitur diſceptatione earum hiſtoria liquido patebit.

§. II.

Aliorum de *Hydatidibus* opiniones propriis cogitationibus anteponendæ.

Antequam proprias de natura & origine *Hydatidum* commentationes proponam; præcipuas, quæ extant, Clariſſimorum virorum, de earum indole cogitationes & conjecturas, in epitomen redactas, in medium proferre volui: ut quid de themate hoc, in Medicina celebri, vel adfirmatum reperitur vel negatum, unico quaſi intuitu pateſceret.

§. III.

A Veteribus *Hydatidum* natura non percepta.

Inter Veteres nec Hippocrates nec Galenus, ubi de Hydatidibus obſervatis mentionem faciunt, quidquam de earum vel indole vel ortu ſpeciatim monent. Aretæus veſiculas aquoſas, id eſt, *Hydatides*, ſumma quidem cum accuratione deſcribit; genuinam tamen earun-

rundem vel originem vel causam se ignorare fatetur (*a*).

§. IV.

Recentiorum Scriptorum opiniones.

Fuerunt inter posteriorum seculorum scriptores, qui a concretione Pituitæ lentæ *Hydatides* oriri existimarunt; inter quos *Carolus* PISO, qui de *Hydatidum* in Pulmonibus repertarum causa agens, sequentia protulit: „Non est profecto „difficilis inquisitio *Hydatidum*, quæ „medio in Pulmone mihi observatæ. „Nam quid mirum, serum tantillo mu-„co, vel potius purulentæ materiæ ex-„quisite permixtum, alicubi colligi, & „ejus puris, sive pituitæ lentæ partem, „concrescere in vesicam, sive cystin, ut „in Abscessibus satis frequentibus, Athe-„romate, Steatomate & Meliceride (*b*)"? Cum ista *Pisonis* opinione congruunt quæ

A Concretione Pituitæ lentæ oriri.

(*a*) *Aretæi* verba notatu digna hæc sunt: „Unde id genus vesiculæ eruperint via haud facile reperitur. Alii namque affirmant hujusmodi ampullas per Intestina transiisse: (de *Hydatidibus* in Abdomine latentibus agit) ego vero id nunquam vidi: idcirco neque nunc scribendo affirmo. Nam sive ex Intestino Colo, sive ex Ventre ferantur, qualis sit ipsarum generationis modus, quid dicam nihil certi habeo". De Caus. & Sign. Morbor. diut. Lib. II. cap. 1.

(*b*) *Car. Pison.* Observ. Sect. III. cap. 7.

quæ ex Commentariis *Academiæ Scientiarum Petropolitanæ*, *Commercio literario Norimb.* inserta leguntur: *Vesicas* nempe *aquosas* ex bullis humorum vitiosorum magis, quam organicarum partium fragmentis, originem trahere (*a*): & a clarissimo MALOET in observationibus *Academiæ regiæ Parisinæ* tradita inveniuntur (*b*).

§. V.

Glandulas esse.

Alii statuerunt glandulas esse, humore intus infarto tumentes, & e situ naturali delapsas. Pro hac sententia stetit olim RUISCHIUS, licet ignorantiam suam antea ingenue erat professus (*c*). Magnus BOERHAAVIUS hanc opinionem acriter defendit, & quidem contra *Ruischium* (*d*) aliter postea sentientem (*e*). Cui adjungendus præclarissimus SCHREIBERUS, qui in mediis *Ruischii* laudibus, in Auctoris sui sententiam acerbe satis invehitur; *Hydatidem* folliculum esse asseverans, ab stagnantis aquæ augmen-

(*a*) Commerc. literar. 1731. pag. 227.
(*b*) Memoires de l'Acad. Roy. 1732. pag. 272. Edit. Amstelod.
(*c*) De Valvul. Observat. XXV.
(*d*) Opusc. Anatom. de fabrica Gland. pag. 18.
(*e*) Observat. Anatomico-Chirurg. XLVI.

mento, in majorem elevatum bullulam (*a*). Nec non clarus inter Gallos Medicus & Chirurgus *Le* CAT, qui *Hydatides* nihil aliud esse existimat, præter glandulosa & lymphatica tubercula, Lienis externæ superficiei (de Hydatidibus in superficie Lienis observatis agit) morbo antegresso in excrescentias dilatata, & lympha extensa, quæ ratione morbi in iis collecta est (*b*).

§. VI.

Alii demum *Hydatides* oriri statuerunt ex distensione præternaturali Vasorum lymphaticorum, ab aqua intus circumclusa. Ea quidem opinio multis egregiis, in arte, Viris admodum placuit, &

Ex distensione Vasorum lymphaticorum nasci.

(*a*) Histor. vitæ *Ruisch.* pag. 59.

(*b*) Philosophical Transact. n. 460. pag. 714. Ipsissima Auctoris verba, quoniam obscura nonnihil sunt, prout alio loco se explicuit, apponere lubet. „ Les *Hydatides* —— étoient continues dans la dou-„ blure des membranes du foye & de la ratte; & il „ m'a paru evident par l'état des parties affectées, „ que ce nombre prodigieux de petits ballons liquo-„ reux étoit formé par les mammelons glanduleux „ de la surface de ces visceres, qui retenant par ma-„ ladie la limphe chariée dans leur interieur, avoient „ été distendus par cette limphe & avoient ainsi for-„ mé ces ampoules aqueuses“, *Le Cat* Traité des Sens, pag. 165.

& maxime recepta videtur. Inter quos *Jacobus* SPONIUS, qui *Hydatides* declarat esse lymphaticorum vasorum Varices, seu dilatationes, a Lymphæ in corpore restagnantis copia productas (*a*). Egregius WARTHONUS *Hydatidum* ortum sequenti modo explicuit: „Si contingat Lymphæ ductus in Mesenterio „ obstrui, quia valde fragiles sunt, facile rumpuntur, & aquas suas in Abdominis cavitatem exspuunt. --- -- Sin „ vero Vasorum horum membranulæ tenaciores fuerint, ita, ut distensionem „ notabilem, absque laceratione ferant, „ in vesiculas quasdam aqua turgidas attolluntur, quas *Hydatides* vocant, & „ peculiarem Ascitis speciem constituunt: „ quamlibet autem vesiculam inter binas „ dictorum vasorum valvulas quam proximas efformari contingit. Quia vero „ aqua nec prorsum propter obstructionem, nec retrorsum fluere potest, ob „ valvularum interceptionem, interstitia „ intumescunt in figuram orbicularem, „ utpote capacissimam, quæ figura in „ *Hydatidibus* vulgo cernitur (*b*)". *Michaëlis* ETTMULLERI sententia cum hac *War-*

(*a*) *Bonet.* Sepulchret. Anatom. Tom. II. pag. 530.
(*b*) Id. ibid. pag. 430.

Warthoni deſcriptione fere congruit (*a*). Sic etiam *Gothofr.* BIDLOI (*b*) & *Jac.* KEILII (*c*). *Frid. Ruiſchius* olim quoque hæſitantem quaſi aſſenſum huic opinioni tribuit (*d*). *Fridericus* HOFFMANNUS partim ad hanc, dein etiam ad aliam ſententiam acceſſiſſe videtur. *Hydatides* enim oriri poſſe exiſtimat, dum remiſſæ Lymphaticorum fibrillæ, a concluſo inter binas valvulas humore, exterius urgentur, ſenſimque amplicatæ ſacculos & veſicas efformant (*e*). Celebris MORANDUS hanc præ omnibus aliis asſumendam eſſe, aperte teſtatus, & multis argumentis probare adniſus eſt (*f*).

§. VII.

Vaſa ſanguifera esſe præter naturaliter mutata multi ſtatuunt.

Pro vaſis ſanguiferis præternaturaliter mutatis recipiuntur tandem a *Ruiſchio*: „ Ego vero cenſeo", inquit, „ *Hydati-* „ *des* eſſe extremitates vaſorum ſangui- „ fe-

(*a*) *Ettmull.* Colleg. practic. Sect. XXI. cap. 3. T. II.

(*b*) *Bidl.* Exercitat. Anatomico-Chirurg. de Hydatid.

(*c*) *Keil.* Tentam. pag. 26.

(*d*) *Ruiſch.* Obſervat. Anatomico-Chirurg. XLVI.

(*e*) *Hoffmann* opuſcul. pathologico-practic. Dec. II. Diſſ. VIII. §. 22.

(*f*) Hiſt. de l'Academ. Roy. 1723. pag. 33.

„ ferorum, quæ priorem ſuam mutave-
„ runt naturam, atque in vitioſam dege-
„ neraverunt fabricam. Id didici maxi-
„ me ex eo, quod placentas, in quibus
„ nulli Lymphæ ductus inveniuntur, a-
„ liquoties ſpectaverim uterinas, immo
„ & inter mea adſervem huc usque, quæ
„ unam partem omnino in *Hydatides*
„ converſæ ſunt, aliam vero partem ſa-
„ næ, quin immo habeo alias, quarum
„ tota fere in *Hydatides* permutata cer-
„ nitur (*a*)". Alio loco hanc opinionem ſuam paulo fuſius explicat: Vaſa nempe ſanguinea in *Hydatides* poſſe mutari, quia inter vaſorum horum tunicas *tunica celluloſa* reperiatur, cujus cellulæ in ſtatu præternaturali ſi repleantur latice aquoſo, cavum vaſorum ita premitur, ut nihil cavitatis ſupermaneat; & ſic obliterantur non ſolum minora, verum etiam majora vaſa (*b*). Adſentitur *Ruiſchio* præclarus inter noſtrates Profeſſor, easdem ob rationes a *Ruiſchio* adlatas; quoniam placentas Uterinas, in quibus nulla vaſa detexit Anatome (*c*), ſæpe mutatas vi-

(*a*) *Ruiſch.* Adverſar. Anatom. Dec. I.
(*b*) Theſaur. Anatom. VI. n°. CIV.
(*c*) Quanquam ab aliis Placentæ & ſua vaſcula lymphatica adſcribuntur: *Boerh.* Prælect. Tom. V. P. II. pag. 289. *Hall.* ibid. Diſputat. Anatom. ſelect. Vol. V. pag. 295.

vidit in *Hydatides*. Excellentiſſimus vir coram Auditoribus aliquando ſic rem explicat. *Hydatides* oriri videntur ex transmutatis Arteriis & Venis. Canales enim arterioſi & venoſi per intervalla conſtringuntur & laxantur, & per conſequens vel in filamenta concreſcunt, vel in *veſiculas* intumeſcunt.

§. VIII.

Ex effuſione humoris lymphatici inter vicinas membranas produci.

Fuiſſe quoque & alios, qui ex effuſione humoris lymphatici, inter vicinas membranas *Hydatides* oriri ſtatuerunt, paucis tantummodo locis adductis liquido patebit. Ex *Adr.* SPIGELIO ſequentia profert *Bonetus*: „Tegitur (*Hepar*) „ membrana tenuiſſima & ſimplici a ligamentis Hepatis enata, quæ arctiſſime parenchymati jungitur. Quod ſi „ ſeparetur alicubi, excedente e vaſis aquoſa materia, & collecta inter ipſam & „ carnem ὑδατίδες Græcis dictæ generantur; quibus ruptis, effuſaque in Abdominis cavitatem aqua, Hydrops Aſcites naſcitur (*a*)". Eadem fere ſententia ſtetit *Thomas* BARTHOLINUS (*b*), ut ex loco citato videri poteſt. GLASERUS

(*a*) *Bonet*. Sepulchret. Anatom. Tom. II. pag. 434.
(*b*) Ibid.

RUS ubi membranam Pinguedini ſubſtratam *Hydatidibus* ſcatentem viderat, eas in Membrana adipoſa oriri ſtatuit, Sero pelliculas a ſubjecta Pinguedine divellente; quod ſi diutius immoretur, tandem ſubtilioribus partibus diſſipatis in gelatinam concreſcit. Adſentitur hiſce Viris *Isbr. de* DIEMERBROEK (*a*). Sic etiam grandiores *veſiculas aquoſas* produci cenſet laudatus antea *Ettmullerus* (*b*), *Joann.* FONTANUS (*c*), & *Laur.* BELLINUS (*d*). Quin & eadem hæc ſententia a celeberrimo *Fr.* HOFFMANNO, æque ac alia de vaſorum lymphaticorum mutatione admittitur (*e*). Addenda nunc eſt præclariſſimi MONROI ſententia, ante primam hujus *Diſquiſitionis* emiſſionem nondum publicata; Herniam aquoſam cyſticam eſſe cellulam Membranæ adipoſæ, liquore intus contento extenſam, cellulasque funiculi ſpermatici in *Hydatides* permutari (*f*). Ut & Illuſtris HALLERI, qui Glandulas vel eorum folliculos in *Hydatides* commutari; ova humana, in *Hydatides* paulatim au-

(*a*) Anatom. Corp. human. Lib. I. cap. 12.
(*b*) Loco antea citato.
(*c*) Obſervat. Med. & Anatom. Obſervat. XII.
(*d*) *Bellin.* de Urin. & Pulſib. pag. 170.
(*e*) Loco citato.
(*f*) Medical Eſſ. Edinb. Vol. V. pag. 302.

aucta, tandem in immensas massas intumescere; *Hydatides* folliculos adiposos esse aqua tumidos; eas omnino oriri, ubicunque *cellulosa Membrana* est; Placentæ in Hydatides mutatæ experimentum per immutata vasa explicari posse, & per *cellulosæ Membranæ* morbum, per glandulas non posse; scribit (*a*).

§. IX.

Vermes esse.

Unicus tandem *Eduard.* Tylo singularem de *Hydatidibus* condidit Hypothesin, eas nimirum peculiare Insectorum, seu Vermium genus esse, in animalium corporibus genitum. Varias quidem, ad Hypothesin stabiliendam considerationes adduxit Auctor; ast, quoniam omnia tentaminis gratia tantum exhibere voluit (*b*); neque assensorem, quantum liquet, habuit ullum, huic exponendæ opinioni, neque aliis quæ levioris momenti reperiuntur, immorabor.

PARS

(*a*) Prælect. Boerh. Vol. II. pag. 469. 473. 496. Vol. V. P. II. 288, 289.

(*b*) *Bonet.* Sepulchret. Anatom. Tom. II. pag. 508.



PARS SECUNDA.

§. X.

Hydatidum exortus ubivis; ut Membrana cellulosa ubique præsens.

AD eruendam *Hydatidum* naturam necesse erit, ipsa *Vesicularum* phoenomena penitius rimari. Agedum, intueamur sedulo, quæ ab Auctoribus fide dignis tradita, vel propria demum experientia detecta novimus. Occurrit primo generalis *Hydatidum* in omni corporis loco exortus. Nulla quippe datur, in corpore humano, pars, sive cavitas sit, sive in ea contentum viscus, quin *Hydatidibus* aliquando scatuerit. Exterior corporis superficies, strata inter Musculos, æque ac aliæ partes profundius sitæ, idem omnino commonstrant, ut ex infinitis observationibus notissimum est. Ad hanc *Hydatidum* proprietatem si attendamus; vix aliqua in corpore humano pars reperitur, huic phænomeno explicando magis idonea, quam *cellulosa* vel *adiposa Membrana*. Hæc enim ubique locorum, tam interne, quam externe adest; hac nulla magis universalis, cum vel ipsis vasis sanguiferis æqualis sit, vel ea superet. Neque quisquam dubitat in intima

tima viſcerum ſubſtantia *Celluloſam* inveniri; cum ex anatomicis jam ſatis ſuperque demonſtratum ſit, eam omnia ambire vaſa, omnes partes, quæ ſibi mutuo cohærent, connectere: proin & inter omnia viſcerum conſtituentia vaſa adeſſe; & morbis ſat multis, forſan & *Hydatidibus* producendis aptam natam eſſe. Ne ipſum quidem Cerebrum excipi debet: hujus enim viſceris nobiliſſimi vaſa, non minus quam aliorum, *Membrana celluloſa* inveſtiuntur; proinde & ubique in encephali ſubſtantia æque ac alibi neceſſario adeſt; licet ſumma CREATORIS providentia cautum ſit, ne facile, ob ingens Cerebri periculum, *pinguedo* abundet, vel Membrana nimis intumeſcat. Credunt præterea anatomici, tunicam Cerebri arachnoideam, *celluloſam* vel adipoſam Membranam eſſe, ut in valde obeſis & leucophlegmaticis obſervatum fuit (*a*): quin & piam Matrem in variis ſubjectis humanis *Pinguedine* diverſis locis ditatam ſe inveniſſe refert *Ruiſchius* (*b*); niſi inter haſce membranas interſtratam eſſe dicere velimus. Nemini itaque dubitandi locus ſupererit, vaſa plexus choroidei a *celluloſa* circumambiri inveſtiri-

(*a*) *Kaau* Perſpirat. Cap. XXXII. §. 177.
(*b*) *Ruiſch.* Theſaur. V. Aſſ. I. nº. XIII.

veſtirique *Membrana*, quibus adeo frequenter *Hydatides* adhærent. Si itaque *Hydatides* in *Membrana celluloſa* ſtabulari aſſumam; quod in ſequentibus vero admodum ſimile reddere conabor, ratio reddi poteſt, cur ubivis in corpore obſerventur.

§. XI.

Hydatides in Celluloſa ſecluſæ reperiuntur, iis producendis apta.

Accedit, *Hydatides* in ipſa *Celluloſa* conluſas ſæpius reperiri. Quæ in puero, circa temporales arterias reperiebantur apud *Bonetum* (*a*), in *Membrana celluloſa* ſedem habuiſſe, vero quam ſimillimum videtur. Ex tumore in viro nobili, ſub cartilagine enſiformi proſilientes *Hydatides*, vix alibi latere potuerunt, niſi in ipſa *adipoſa Membrana* (*b*). Ipſe ego ex Abſceſſu purulento, in hypochondrio dextro *Hydatides* excretas cum viderim, ex *Celluloſa* provenire dubitari minime potui. Idem procul dubio de corporibus glandulofis & veſicularibus e tumoribus externis procidentibus, quorum apud SCHENCKIUM (*c*), SCHULTETUM,

(*a*) *Bonet.* Sepulchret. Tom. I. pag. 31.
(*b*) Sepulchret. Tom. III. pag. 270.
(*c*) *Schenck.* Obſervat. Lib. V. pag. 682. 676.

TUM (*a*), SCHOUTENUM (*b*), BIDLOUM (*c*), aliosque mentio fit, ſtatuendum erit. Veroſimile itaque videtur, *celluloſam* ſeu *adipoſam Membranam* producendis *Hydatidibus*, vel ad minimum, condendis aptiſſimam eſſe.

§. XII.

Globuli ſeboſi & *Hydatides* in *Celluloſa* conjuncti, ſimilis originis ſuſpicionem inducunt.

Aliquando medias inter *Hydatides* Globuli quidam ſebacei, ſeu corpora ſebaceam ſubſtantiam æmulantia, ſimul excernuntur. Multa millia glandularum diverſæ magnitudinis, Sevi adinſtar, in Omento militis hydropici inventa fuiſſe, ex Ephemeridibus Academiæ Naturæ Curioſorum refert *Bonetus* (*d*). In Meſenterio mulieris ſexagenariæ infiniti detecti ſunt Abſceſſus, ſua quique cyſti incluſi, alii quidem oleoſo, melleo alii, alii *ſebaceo*, alii albugineo, alii aquoſo humore referti (*e*). De ingenti numero *Hydatidum*, ſimul cum ſebacea ſubſtantia, deſcriptionem dedit clariſſimus CAMERARIUS (*f*). Corpuſcula rotundo-plana, ſevo

(*a*) *Schultet.* Armamentar. Chirurg. P. II. pag. 676.
(*b*) *Schouten* van de Gezwellen II Deel pag. 537.
(*c*) *Bidl.* Exercitat. de Hydatid. pag. 14.
(*d*) *Bonet.* Sepulchret. Tom. II. pag. 520.
(*e*) Id. ibid. pag. 450.
(*f*) Act. Phyſico-med. Vol. VIII. Obſerv. 120.

ſevo indurato, ſubſtantiæ habita ratione valde ſimilia, cum *veſiculis aquoſis* una erumpere vidi in caſu antea (§. XI.) memorato. De exiguis Abſceſſibus, infinito numero, in corpore interno obſervatis, in quibus ſebum contentum inveniebatur, mentio fit apud ſæpius citatum *Bonetum* (*a*). Celebris apud Edinburgenſes Anatomes Profeſſor *Al. Monro* ſebaceum & veſiculare corpus, ex veſiculis aquoſis, mucoſis & ſteatomatoſis conſtans, in diſſecta hydropica, ſe obſervaſſe teſtatur (*b*). Ex quibus omnibus aliqua ſaltem, me judice, ſuſpicio naſcitur, *Hydatides* ex eodem fonte, in iisdem caſibus, originem traxiſſe, ex quo corpora ſolidiora, quæ cum iisdem una prodierunt, exorta fuiſſe credimus. Hæcce vero *Membranæ adipoſæ* producta fuiſſe, ipſa horum ſubſtantia & indoles ſignificare videntur. Nulla etenim pars corporis, quin ſua natura de pinguedine participet, præter naturam, in *Pinguedinem* mutabitur. Quoniam itaque, ab omnibus fere Scriptoribus, ejusmodi corpora Adipi æquiparantur; extra omne dubium cenſeo, ex ipſa *Pinguedine*, vel membranoſo corpore, in ſtatu ſano, *Pinguedinem*

(*a*) *Bonet*. Sepulchret. Tom. II. pag. 435.
(*b*) Mecical. Esſ. Vol. IV. pag. 439.

dinem continente, proveniſſe. Quam ob cauſam & *Hydatides* ipſas eidem membranæ ortum debere, ſummo jure, ut puto, concludo.

§. XIII.

Materies in *Hydatidibus* contenta ſuſpicionem auget.

Materies in *Veſiculis* contenta aqua eſt, vel ſerum limpidum, citrinum, turbidum, limoſum: alio tempore humor pituitoſus, viſcoſus, gelatinoſus, pultaceus, caſeoſus, & quæ ſimilis generis alii apud obſervatores inveniuntur. Omnia hæc diverſæ naturæ contenta ex mutata *Pinguedine* ortum ſumere, quam probabiliſſimum juxta meam quidem ſententiam videtur. Notum quippe eſt, quam facile & varie mutabilis ſit *Pinguedo*. In eodem homine jam *Celluloſam* implens, eum obeſum toroſumque reddit; brevi autem poſt, interveniente cauſa morboſa, humor ſuboleoſus, tenuis vel aquoſus cellularum cava replet; dum æque cito dein, œconomiæ animalis vitio ſublato, verum oleum, ſeu *Pingue* ejus locum occupat. Dein *Pinguedinem* ſpontanea corruptione, variis modis quoque mutari in *celluloſa Membrana* poſſe obſervatur. Vidit *Jac.* DENYS, *leidenſis*, dum viveret Chirurgus, Sectionem cæſaream inſtituens, ut vivum fœtum, ex

ma-

matre ſubito mortua, in lucem protraheret; in *Membrana celluloſa* materiem mediæ, inter *Pinguedinem* & aquam, naturæ. Multum enim flavi & ſuboleoſi humoris ex diſſecta abdominis *Celluloſa* effluebat. Ipſa quæ aderat *Pinguedo*, flaveſcentis erat coloris, & congeriem veſicularum, ſeu ſacculorum, circumfluente & vix cohærente materia ſuboleoſa repletorum, & mirifice ad invicem coadunatorum, monſtrabat (*a*). Simile quid laudatus Auctor, in alia muliere gravida, ſub aquis ſuffocata, quoque obſervavit (*b*). Sic in Actis phyſico-medicis caſus extat diſſecti cadaveris, in quo, externe in capite, pectore & brachiis *Pinguedo* plane abſumta videbatur, ut ſola fere cute tecta apparerent oſſa, inſimulque, a ſcrobiculo Cordis, usque ad Femora liquor lymphatico-ſeroſus, coagulatus inſtar gelatinæ albicantis, vel inſpiſſati lactis, muſculos ita tegebat, ut particulatim auferri potuerit, parumque vel nihil digiti ab eo inquinarentur; in Abdomine vero ſaccus ingens, aqua plenus ab utero pendebat (*c*).

Pa-

(*a*) *Denys*, Ampt der Vroedmeeſters en Vroedvr. pag. 58.

(*b*) Id. pag. 54.

(*c*) Act. phyſico-med. Academiæ Naturæ Curioſor. Vol. VI. pag. 331.

Patet ergo, me judice, ſatis ſufficienter, miras in corpore mutationes *Pinguedinem* ſubire poſſe, ſola obſervatione detectas, ulteriusque detegendas. Ponamus, ſebaceam materiem in *Celluloſa* ſtagnare, retineri, non retroire; mutabitur illa, prout in hanc aliamve indolem, coagulationis nempe, vel in humorem tenuem ſolutionis, magis minusve, natura ſua, prona eſt. Accedente dein cauſa, qua *celluloſa* compages in *veſiculas*, vel corpora quædam globoſa ſeparata permutatur, quod fieri poſſe antea (§. XII.) aſſumſi; facile comprehendi poteſt, diverſam in *Hydatidibus* contentam materiem, vel aquoſam, vel gelatinoſam vel caſeoſam vel ſeboſam, ex mutata *Pinguedine* in *celluloſa Membrana* oriri potuiſſe.

§. XIV.

Hydatidum in majori ſacco, vel & aliis *Hydatidibus* incluſio Membranæ celluloſæ ope explicari poteſt.

Videmus ex obſervationibus variorum Auctorum, *Veſiculas* complures ſacco majori haud raro includi, immo & easdem incluſas alias quoque minores tres quatuorve liberas, neque inter ſe, neque cum aliis majoribus cohærentes intus continere ſæpiſſime (*a*). Mirabile iſthoc phæ-

(*a*) Commerc. literar. Nor. 1731. pag. 271. Act. phyſico-med. Vol. III. Obſerv. 120.

phænomenon quomodo per ullam ex adlatis antea conjecturis, vel ſuppoſitionibus explicari poſſit, ego plane non percipio.

Aſt, ſi attendamus ad ea, quæ magni nominis Anatomicus *B. S.* ALBINUS de *Membrana celluloſa*, Muſculi partem efficiente, diſertis verbis protulit, quicquam forte lucis huic difficultati affulgebit. Sic ille: „Ubi denſior, ibi & e membranis inſignioribus compoſita, cellulas „ſatis magnas efficientibus, in quibus „quam plurimæ eſſe ſolent minores, in„terſtinctæ membranis ſubtilioribus, „omnesque contextu fibrarum ſubtiliore „refertæ, quem rurſus interſtinguunt fi„bræ ejus craſſiores (*a*)“. Videtur itaque *Membrana celluloſa* ſic eſſe diſpoſita, ut e membranulis, inter alias ſecluſis, novæ ubique cellulæ poſſint efformari, & ſimul præternaturali quacunque mutatione, v. g. induratione in *Pinguedine* oborta, membranas haſce ad invicem compingi, & in unam craſſam tunicam abire poſſe. Supponamus, denuo, ex quacunque cauſa ſtagnationem oriri in materia in cellulis contenta; illa ſuam ubique cellulam ſingularem replebit, expandet, & in tumorem elevabit: eadem

(*a*) *Albin.* Hiſtor. Muſculor. Lib. I. cap. 1. pag. 9.

dem præterea causa, ex qua stagnatio hæc nata fuit, cellularum inter se invicem communicationem intercipiet. Mutuo autem ex aliis in alias transitu denegato, humor ad secretionem affatim adlatus in cellulam depluens, illam continuo & implet & distendit; excitabitur proin tumor major minorve, prout natura caussæ, vel ipsa cellulæ natura permiserit. Idem si in interioribus, quæ in externis continentur cellulis, contingat, similis quoque in iisdem orietur permutatio. Mirum igitur non est, quia omnia hæc separatim agunt, hasce cellulas, *Vesiculas aquosas* nunc vel *Hydatides* dicendas, sæpenumero nullo modo inter se connexas, immo & alias aliis demum inclusas reperiri. Addamus, quod observavit laudatus antea *Morandus*, *Vesicularum* membranas ex variis, ut plurimum tribus quatuorve & quandoque pluribus lamellis constare (*a*). Veluti de cysticis tumoribus aquosis, in Pulmonum lobis, etiam dixit *Maloet* (*b*), eandem *Membranæ cellulosæ* structuram quasi innuentes. In statu naturali, ut communicatio, sic etiam mutua cellularum datur cohæsio; partes vero connectentes, sive membranosæ fuerint,

(*a*) Hist. de l'Academ. Royale, 1723. pag. 31.
(*b*) Mem. de l'Academ. Royale, 1732. pag. 353.

rint, ſive fibroſæ, teneræ admodum ſunt & fragiles, propterea ad rupturam, aliqua in cellula facta præternaturali expanſione, aptæ & pronæ. Eadem facilis ruptura humores, ſive crudos vel adipoſos, ſive aquoſos, in cavitates factas effundi urgebit; quibus tractu temporis magis magisque a ſtatu naturali ſecedentibus innatantes inveniuntur veſiculæ minores, cum ipſis humoribus contentis haud raro ſacco majori incluſæ. Magna quippe cellula, ex membranis craſſioribus compoſita, ſaccum facile efformabit, ad minores includendos aptiſſimum. Ex hac denique perluſtrata cellularum fabrica concipi facile poteſt, *Veſiculas aquoſas* haud minus frequenter in cavo quodam corporis libere fluctuantes, quam aliis partibus adnexas reperiri. Si ergo prædicta phænomena nullo modo explicari poſſunt, niſi *Membranæ celluloſæ* ope, ut profecto videtur; & mediante hac omnia facillimo negotio ſe extricent; magnum exinde & graviſſimum argumentum exſurgere puto, *Hydatides* ex *celluloſa Membrana* efformari.

§. XV.

Hydatides variis

Hydatides ſæpiſſime variis in locis in eodem ſubjecto ſimul exiſtentes, in externa

terna corporis ſuperficie, & hepatis aliarumve partium abſconditarum intimo parenchymate; immo & in omnibus ſæpenumero viſceribus pariter inveniri, docuerunt obſervationes doctorum virorum ubivis obviæ (*a*). Docemur inde, partem adfectam ubique locorum præſentem eſſe non tantum; ſed & cauſam, ex qua *Hydatides* oriri poſſunt, vel ubivis adeſſe, vel quam facillime de loco in locum propagari poſſe. Sed quamnam quæſo quispiam in corpore humano partem indicare poterit, omni in loco æque frequentem, & per quam cauſa quævis morboſa æque facile ad remotiora loca diſpergi poteſt, præter nominatam jam ſæpius *Membranam celluloſam*. Hæc per totum corpus, ad minima pererrat; per hanc mutua contentæ materiæ communicatio datur, ut antea (§. XIV.) dictum: quæ ſi morboſe afficiatur ſic, ut *Hydatidibus* producendis occaſio naſcatur; facile in permultis locis eadem mala, iidem *tumores veſiculoſi* excitari poterunt. Adeoque & hæcce *Hydatidum* circumſtantia pro *Membrana celluloſa* haud leve argumentum ſuppeditare mihi videtur.

in locis ſimul occurrentes prioribus argumentis pondus addunt.

§. XVI.

(*a*) *Volch. Coiter.* Tab. Anatom. in Obſervationib. pag. 116. *Bonet.* Sepulchret. Anatom. Tom. II. pag. 431.

§. XVI.

Accedit *Hydatidum* numerus, ingens, & Saccorum includentium magnitudo.

Ingens *Hydatidum* numerus, centenarium, immo & millenarium quandoque superans, si observatoribus fides non sit deneganda, & saccorum peculiarium stupenda magnitudo; cavitatem, verbi gratia, quadraginta & plurium mensurarum excedens (*a*), unde procedere possit, difficillimum explicatu sane videtur, nisi eadem mediante *adiposa Membrana*. Hæc ex cellulis infinitis majoribus atque minoribus constans, mirifice mutabilis non tantum, sed ad immensam quoque magnitudinem extensilis est. Orta itaque causa quacunque *Hydatides* gignente, pars illa *Cellulosæ* quæ *Hydatidibus* jam factis vicina est, eodem modo ac prior degenerabit; hancque rursus alia, quæ proxime adjacet, sequetur, unde tum *Hydatides* increscunt numero fere infinito. Cum vero in parte quadam ampullosus productus fuerit tumor, aqua repletus, hic ultra imaginationem continuo increscet; & quoniam pressioni illabentis aquæ, vel materiæ ad secretionem Pinguedinis adlatæ, non resistere potest tenera

(*a*) *Bonet.* Sepulchret Anatom. pag. 520. Commerc. Nor. literar. 1731. pag. 271, *Ruisch.* Adversar. Anat. I.

nera *Cellulosæ* fabrica, quaquaversum expandetur & erumpet. Neque aliqua pars in corpore humano mihi nota est, quæ mutationibus hisce subeundis ullo modo apta haberi queat.

§. XVII.

Et ingens *Hydatidum* quoad substantiam varietas.

Quædam *Vesiculæ* teneræ sunt, levissima de causa fragiles, & leviori tantum digitorum compressione in gelatinosam quasi substantiam abeuntes; adeo quidem ut citatus antea *Maloet* argumentum haud infirmum exin desumi posse existimet pro demonstranda *Hydatidum* genesi ex concretione humoris lymphatici gelatinosa. Aliæ contra, inprimis majores vel solitariæ, tunicis gaudent satis crassis, solidis firmisque. Utraque hæc, nisi vehementer fallor, diversitas ex contemplatione *Membranæ cellulosæ* sola facile dissolvitur & illustratur. Quam dissimilis sibi sit in variis locis hæcce dicta *Membrana*, docuerunt Anatomici. *Hydatides* itaque, ex quanam parte oriantur, ratione ad illam habita, vel crassiores erunt & firmiores, vel teneriores & valde fragiles. Docent itidem quotidianæ observationes, *Cellulosam* crassam, multa pingui gravatam, interveniente prava corporis constitutione, ita permutari posse, ut

in ſubtiliſſimam membranam, minima vi rumpendam, & mucum quaſi gelatinoſum abiiſſe videatur. Eandem contra tenuiſſimam membranam Pingui denuo infarciri, & in amplum craſſumque & firmum corpus tranſire poſſe. Singulæ harum diſſimilitudinum rationes, ex mutabili *Celluloſæ* fabrica petendæ, *Hydatidum* dictas varietates itidem demonſtrant & explicant. Neque etiam cauſæ *Hydatides* efficientes ſemper ſibi ſimiles ſunt. Nunc etenim una tantum alterave cellula comprimitur, pinguedinis motus retrogradus impeditur; alio tempore magna aquoſi humoris copia ad hanc vel illam *Celluloſæ* partem adfertur. Sequitur itaque neceſſario, *Hydatides*, dum ſingulæ ſingulari modo increſcant, alias aliis minores majoresve non tantum, verum etiam membranulas inveſtientes vel ſolidiores & craſſiores, vel ſubtiliores & laxe cohærentes extituras. Accedit, quod *cellulare* dictum corpus tam inferne, quam ſuperne, tenui quidem, ipſis tamen cellulis multo fortiori membrana tectum inveſtitumque ſit (*a*); quæ ſi *Veſiculæ aquoſæ* tunicam efformaverit, hanc craſſam reddet firmamque. *Cellulæ* vero inter hancce duplicaturam locatæ, in *Hydati-*

(*a*) *Kaau* Perſpirat. pag. 337. §. 806.

datides transmutatæ, e contrario ſubtiles erunt & flaccidæ. Eadem quoque ratione facile erit intelligere, alias invicem connexas, alias a reliquis ſeparatas, in cavitate ſingulari deciduas obſervari; prout, nimirum, vel moles ſive pondus, vel cauſa quævis cum impetu disrumpens, vel horum nihil interceſſerit.

§. XVIII.

An quidem de rotunda *Hydatidum* figura verba facere, operæ ſit pretium, valde dubito. *Cellulæ*, vel inter lamellas membranaceas relictæ areæ, ſua natura in quamcunque figuram facile mutantur. Fluida quævis coërcita verſus omnes plagas æqualiter premere, ex phyſicis notiſſimum eſt. Corpora membranacea cava flexibilia cum ſint, a liquoribus intus contentis, in rotundam extendi figuram neceſſe eſt, niſi cauſa quædam externe agens impediverit. Variorum generum in *adipoſa Membrana* oriundi tumores ampulloſi, vel ſebacei, magis minusve rotundi ſunt; & argumenti loco huic propoſitioni demonſtrandæ inſervire posſunt.

Rotunda *Hydatidum* figura explicatu facilis eſt.

§. XIX.

Ex hactenus demonſtratis facile percipitur

Nec obſcurum eſt

integras corporis partes in *Hydatides* mutari.

pitur integras humani corporis partes, viſcera puta, aliasve in *Hydatides* converti poſſe; vix ullo vel vaſorum, vel viſceris remanente veſtigio, quod magnopere miratus fuit *Ruiſchius* (*a*). Neque etenim id magis mirandum, quam quod erumpente & divagante *Membrana celluloſa*, in Sarcoma vel Fungum permutata, partes non tantum molles, ſed & ſolidiſſima oſſa obliterentur penitus (*b*): quam ob cauſam ipſa corporis oſſa in carnoſam vel carni ſimilem ſubſtantiam tranſiiſſe dixit celeberrimus inter Chirurgos pariſinos PETITUS. Simile quid in Hepate, aliisque partibus *Hydatidibus* refertis, dum tota quæ per intimam viſcerum ſubſtantiam perambulat *Celluloſa*, eandem ubique paſſa fuerit metamorphoſin, contingere poſſe, nemo negabit. Ad veritatem igitur, poſt varias fluctuationes, quam proxime acceſſiſſe videtur *Ruiſchius*; cum ad conſtituendas *Hydatides*, ſive integra viſcerum parenchymata in *Hydatides* transmutanda, *Celluloſam* concurrere exiſtimavit (*c*). Longiſſime vero eum aberraſſe credo, quum ob *Hydatides* in Pla-

(*a*) *Ruiſch.* Theſaur. I. Aſſ. II. Theſaur. VI. No. XI.

(*b*) Conferantur quæ dixi in Exercitatione de Scirrho. Cap. VI. §. 8.

(*c*) *Ruiſch.* Theſaur. VI. No. XI.

Placenta uterina obſervatas, earum ſedem vaſis ſolum ſanguiferis addixerit. Hæc etenim pars, lymphaticis licet vaſis deſtituta videatur (§. VII.) *celluloſa* tamen gaudet membrana, quæ in hac æque ac aliis quibusvis partibus easdem ſubire poteſt & ſæpe ſubit mutationes morboſas. Poſſunt itaque in omni parte Placentæ uterinæ, quin & in tenerrimo puſilli embryonis umbilicali funiculo, ut in aliis omnibus corporis partibus, quod jam fuſe ſatis me demonſtraſſe puto, eadem de cauſa exſurgere, prout a *Ruiſchio* (*a*) aliisque obſervatæ fuerunt.

(*a*) Theſaur. VI. No. XLV. Obſervat. Anatomico-Chirurg. XIV. Craſſiorem forte funiculum, exiſtimat *Hallerus*, a *Ruiſchio* pro *Hydatide* habitum; qui & ipſe ſimilem bullæ vidiſſe funiculum dicit, veriſſimum tamen, in cujus altero fine punctum rubrum arteriam indicabat. Prælect. Boerhav. Vol. V. P. II. pag. 244.

F I N I S.

Ejusdem Auctoris Exercitatio Medico-Chirurgica de SCIRRHO & CARCINOMATE; in qua etiam FUNGI & SARCOMATA pertractantur, 8o.

Ejusdem Auctoris, *Genees-en Heelkundige Verhandeling van de* SCIRRHUS en CANCER, of *Knoest en Kreeft-gezwel*, waar in ook de Natuur van FUNGUS en SARCOMA, of het Uitwas en Vleesch-gezwel onderzogt wordt. Hier is bygevoegd eene Waarneming van SPINA BIFIDA, opgehelderd door eene Aftekening in Levens-grootte: beneffens eenige Bedenkingen over de Oorzaaken van dat Gebrek en andere tegennatuurlyke Gesteldheden; waar mede kinderen ter wereld komen, in groot 8o.

Ejusdem Auctoris Dissertatio de GENERATIONE PURIS, Prœmio, ab Academia Regia Chirurgica, quæ floret Parisiis, Ao. 1746. proposito condecorata, 8o.

THOMÆ GLASS, Medici Angli, *Commentarii* XII *de Febribus ad Hippocratis Disciplinam Accommodati*, 8o.

PHARMACOPOEA AMSTELÆDAMENSIS RENOVATA, in 4to. & 12mo.

PHARMACOPOEA *Collegii Regalis Medicorum* LONDINENSIS, *Juxta postremam Renovationem edita* Londini *Apud* T. Longman. 1746. 8o.

Gezuiverde Geneeskonst, of kort Onderwys der meeste Inwendige Ziekten; ten nutte van Chirurgyns, die ter Zee of te Velde dienende, of in andere Omstandigheden zig genoodzaakt vinden dusdanige Ziekten te behandelen door JOHANNES DE GORTER *Med. Doctor en Professor*, gr. 8o.

Proeve om Gezond en Lang te leven; uit langduurige Ondervinding in 't Engelsch beschreven door G. CHEYNE, M. D. en Lid van de Koninklyke Societeyt te Londen, 8o.

Nieuwe Oeffening der Geneeskunde, behelsende een Beschryving van de Ziekten, derzelver Oorzaken, Kentekenen, Voortekenen en Hulpmiddelen, geschikt naar de wyze der beste, inzonderheid nieuwe Schryvers der Geneeskunde; door P. SHAW. Uit het Engelsch na den Vyfden Druk vertaald en met eenige Aanmerkingen vermeerderd in Gr. 8o. 2 Deelen.